DE

PHILOXENI GRAMMATICI ALEXANDRINI

STVDIIS ETYMOLOGICIS

DISSERTATIO
INAVGVRALIS PHILOLOGICA
QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
LITTERARVM VNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXX MENSIS MARTII ANNI CIↃIↃCCCLXV
H. XI L. S.

PVBLICE DEFENDET AVCTOR
HENRICVS KLEIST
CVSSALINENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT
HERM. MVELLER DR. PHIL.
RVD. KVHNKE CAND. PHIL.
HENR. KIEHL STVD. MATH.

GRYPHISWALDIAE CIↃIↃCCCLXV

IMPRESSVM LIPSIAE TYPIS TEVBNERIANIS

GEORGIO · FRIDERICO · SCHOEMANNO

HERMANNO · VSENERO

HVNC · LIBELLVM

GRATI · ANIMI · TESTEM

D. D. L. M.

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

Cum ante hunc annum Vsenerus praeceptor dilectissimus scholas haberet de historia philologiae et de arte etymologica olim factitata disserens Philoxeni etiam studia adumbraret, ego nouitate rei adductus grammatici huius fragmenta colligere et quibus maxime rationibus praeceptisque haec etymologiae ars contineretur indagare consilium cepi. Nam qui nuper summa diligentia ac doctrina de Philoxeno scripsit Maur. Schmidtius, in ceteris quidem ita uersatus est, ut mihi uix quidquam relictum esse uideatur, ea autem scripta, in quibus data opera grammaticus uocabulorum origines explicauit, disputatione sua non simul complexus est. Horum autem librorum fragmentis conquisitis cum tantam messem factam uiderem, quantam huius libelli angustiae capere uix possent, particulam autem eorum edere ipsius rei condicio uetaret, nunc constitui quaestionibus quibusdam, quae pertinerent cum ad uitam et scripta Philoxeni tum ad fontes, e quibus eiusdem de origine uerborum praecepta eruantur, antea tractatis ipsam eius artem quasque in etymologia exercenda secutus esset rationes exponere fragmenta per aliam scribendi opportunitatem additurus.

Capvt I.

De uita Philoxeni et scriptis iis, quae ad etymologiam referenda sunt.

Suidas haec tradit

Φιλόξενος Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός, ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ. περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων, περὶ σημείων τῶν ἐν τῇ Ἰλιάδι, περὶ τῶν εἰς μι ληγόντων ῥημάτων, περὶ διπλασιασμοῦ, περὶ μέτρων, περὶ τῆς τῶν Συρακουσίων διαλέκτου, περὶ Ἑλληνισμοῦ ϛ, περὶ συζυγιῶν, περὶ γλωσσῶν ε, περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ γλωσσῶν, περὶ τῆς τῶν Λακώνων διαλέκτου, περὶ τῆς Ἰάδος διαλέκτου καὶ τῶν λοιπῶν.

Cum nullam his Suidae uerbis aetatis, qua Philoxenus uixerit, memoriam inesse appareat, neque aliunde notitia ad nos peruenerit, post Frid. Osannum[1]) Maur. Schmidtius[2]) uarias uias ad accuratius eam definiendam iniit. Cuius rationes nunc iterum enarrare cum nihil opus sit, paucis res absoluenda erit. Atque Herodiano fuisse Philoxenum antiquiorem certe efficitur ex ipsius grammaticorum principis testimoniis, qui cum ceterorum grammaticorum, qui antecesserant, praecepta in usum suum accurate examinauit, examinata aut comprobauit aut refutauit, tum Philoxeni libros sine dubio suis ipse oculis inspexit et lectitauit.[3])

---

1) In epimetro II editioni Philemonis (1821) subiuncto p. 309 sqq. Tum post editam Schmidtii disputationem denuo rem tractauit in excursu II editioni Anecdoti Romani adiecto p. 308 sqq.

2) ,,De Philoxeno Alexandrino" Philol. uol. IV, p. 627 sqq. VI, p. 660 sqq., quam commentationem adeas necesse est, cum ego eam mihi in hac dissertatione legem imposuerim, ut quas res a Schmidtio peractas esse cognoui, eas nisi caussa ipsa flagitante non repeterem.

3) Vide locos a Schmidtio indicatos l. all. IV, p. 628. Idem nollem p. 632 dixisset, fortasse ex Pamphili auctoritate toties ab Hero-

Qui uero accuratius ab hac parte temporis, quo Philoxenus grammaticam Romae docuerit, spatium circumscribere eumque uel ante Aristonicum grammaticum uixisse e testimoniis quibusdam scholiorum in Iliadem euincere studuerunt, nihil ei erroribus implicati profecerunt[4]). Id unum addi potest necessario

---

diano citari Philoxenum, id quod locis quibusdam praesertim scholiorum in Iliadem examinatis patet nullo modo credibile esse.

4) Osannus enim, qui Anecd. Rom. p. 265 sq. cl. p. 309 Philoxeni librum *περὶ σημείων τῶν ἐν τῇ Ἰλιάδι* ab uno Suida memoratum tractauit, huius libri ex schol. Iliad. fragmenta quaedam eruere sibi uisus est, ut ex schol. *Υ* 471, *Χ* 28, *Ε* 638, *Ι* 219. His enim locis, quibus Philoxenum signa Aristarchea explicasse suamque simul sententiam apposuisse sibi persuasit, auctorem assignat Aristonicum. Id uero si constaret, quoniam Aristonicus aequalis Strabonis Augusti et Tiberii temporibus uixit, apparet, quid in rem nostram conferret. At uero sententiam Osanni de Philoxeni *περὶ σημείων* libro certis argumentis carere recte ostendit Wold. Ribbeckius, qui simul istius libri loco apud Suidam probabiliter coniecit reponendum esse *περὶ προσῳδιῶν* titulum Philol. VIII, p. 656 falsus tamen in eo, quod et ipse in schol. *Ι* 219 mentionem Philoxeni grammatici ab Aristonico interiectam esse putauit. Est illud schol. sic compositum: *ἡ διπλῆ, ὅτι θῦσαι οὐ σφάξαι, ὡς ὁ Τιμόθεος ὑπέλαβεν καὶ Φιλόξενος, ὁμοίως τῇ ἡμετέρᾳ συνηθείᾳ, ἀλλὰ θυμιᾶσαι.* Quibus ex uerbis Ribbeck. fragmentum libri *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ γλωσσῶν* recuperari posse autumauit, qui (quae sunt Schmidtii uerba ad fragm. Didymi Chalc. p. 345, not. 1) „si Philoxeni et Timothei dithyrambographorum Cyclopis meminisset, de Philoxeni glossis Homericis hoc loco non cogitasset —". scholia *Ε* 638, *Χ* 28, ubi res quaedam ad prosodiam spectantes pertractantur, non Aristonicum sed Herodianum habere auctorem luce clarius. Aliter res sese habet in schol. *Υ* 471 *ἐνέπρησεν· Φιλόξενος καὶ Ἀρίσταρχος· περὶ δὲ τῆς γραφῆς Ἀρίσταρχος ἐν ὑπομνήματί φησιν οὕτως· κ. τ. λ.* Vtique enim cum Lehrsio in his casus rectus *Ἀρίσταρχος* reponendus est. Quodsi loco sic comparato probari nequeat Philoxenum commentarium in Iliadem composuisse (quode uide Schmidtium VI, p. 660), quaeritur tamen, num in hanc aetatis Philoxeniae computationem inde aliquid consequatur, qua in re hunc locum a Schmidtio praetermissum esse uideo. Si quidem ab uno quattuoruirum, quorum ex operibus scholia optimam partem congesta sunt, Philoxeni mentionem factam existimas, nullum nisi Didymum auctorem esse totius loci condicio demonstrat. Atque huic sententiae uidetur addictus esse Ribbeck. Philol. VIII, p. 656. Didymus uero cum Suida teste tempore Antonii et Ciceronis uixerit, Philoxenum ab eo memoratum illa tempora etiam antecessisse iam constare uideatur.

Traiani etiam imperatoris aetatem eum antecessisse, quia Soranus medicus et grammaticus, de quo infra disserendum erit, scripta eius iam nouit. Quaerendum potius est, num definiri possit, quonam tempore Philoxenus inferior fuisse uideatur. Atque hac in re summi momenti est opus, quod scripsit *περὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων διαλέκτου* praetermissum a Suida, quode legas quae docte exposuit Schmidtius Philol. IV, p. 630. Etenim nullo modo credibile est factum esse, ut celeberrimum hoc Philoxeni opus iam ante editos M. Terenti Varronis de lingua Latina[5]) libros in publicum emitteretur. Certe admodum mirandum hoc foret apud Varronem, qui nimium quantum Graecae doctrinae uestigia pressit, nullum illius libri uestigium inueniri, magis etiam mirandum, cum Philoxenum in ipsa Roma scholas habuisse sciamus. Hanc sententiam si probauero, inde sequitur Varronis tempora non iam attigisse Philoxenum. Atque omnino animaduertendum est hoc, eorum grammaticorum studia, qui non in unius linguae legibus explorandis uersarentur, sed instituta comparatione quaererent, quid lingua Romanorum cum Graeca commune haberet uel adeo ex illa in suam consuetudinem assumptum (in diale-

---

At magnopere cauendum est, ne uni huiusmodi loco confisi temere in rem nostram uertamus id quod dubitationi maximae obnoxium uideo. Nimirum non uno loco constat Philoxeni mentionem non ei deberi, cui *παρέκειντο τὰ Ἀριστονίκου Διδύμου Ἡρωδιανοῦ Νικάνορος*, sed homini docto et epitomatori aliquot saeculis illo inferiori. Vide egregia fragm. operis *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων* seruata in schol. *B* 269 a cod. A et *K* 290 a codd. AV. Paucis ut dicam quod sentio, ex Didymi libro *περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως* desumpta sunt haec: *ἐνέπρησεν Ἀρίσταρχος· περὶ δὲ τῆς γραφῆς κ. τ. λ.* Postea demum ab epitomatore Philoxeni nomen appositum est, qui ni fallor in glossis Homericis probata Aristarchi scriptura significationem uerbi *ἐμπρήθειν* atque usum illustrauerat. Iam igitur id firmatum habemus in iis scholiorum frustis, quae quidem ex Aristonici et Didymi libris hausta sint, uestigia Philoxeni certa inueniri nulla. Praeter Herodianum semel Philoxeni testimonium excitat Nicanor in schol. *Α* 231, quo tamen testimonio in hac de tempore quaestione nihil proficimus, cum Nicanor aetate Hadriani imperatoris uixerit atque tamquam natu maior aequalis Herodiano fuerit.

5) Missi sunt hi libri ad M. Tullium Ciceronem anno DCCX u. c. uel paullo post. Vid. Aug. Willmanns, de M. Terenti Varronis libris grammaticis, p. 38.

ctorum enim numero habebant ueteres sermonem Romanum), ea inquam studia sub extrema demum reipublicae tempora efflorescere coepisse[6]), maxime uero exculta esse primis imperatorum temporibus. Vid. Lerschium 'Sprachphilos. der Alten' III, p. 71. Schmidt. Philol. IV, pag. 630 sq. Itaque, quandoquidem totam quaestionem ad probabilitatem redactam uides, fere Augusti et Tiberii temporibus Philoxenum Romae grammaticam professum esse existimauerim.

Iam uero ut ad scripta Philoxeni percensenda transeamus, in iis tantummodo uersabimur, ut et ipso indice professus sum, quae ad artem etymologicam summa diligentia ab eo promotam pertineant. Apponam ea statim eis titulis inscripta, quibus ab ipso Philoxeno inscripta puto: *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων, περὶ τῶν εἰς μι ληγόντων ῥημάτων, περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ, περὶ διαλέκτων.* Quo enim iure etiam de dialectis libros in eo numero ponam, postea demum ex ipsorum indole apparebit. Nunc hoc unum moneo, ne credas ideo Philoxenum in dialectis sermonis Graeci operam collocasse, ut quas quaeque proprietates haberet exponeret accuratioremue earum notitiam propagaret, immo eo uno consilio, ut subsidia inde quaedam in artem etymologicam factitandam sibi ipse pararet.

Atque opus *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*, cuius perfrequens inuenitur mentio, pluribus compositum fuisse libris e duobus fragmentis[7]) liquido apparet, quorum auctor affertur *Φιλόξενος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*; absolutumne duobus his libris fuerit, diiudicare non possumus. Neque quisquam putabit duo illa sola fragmenta alterius libri ad nos peruenisse, cetera uero, quibus subscribitur *Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*, primo libro assignanda esse. Vix enim dubium est, quin permultis locis accurata libri nota sin-

6) Primus grammaticorum qui in hoc genere elaborauit videtur fuisse Hypsicrates memoratus iam a Varrone L. L. V. § 88 Muell. p. 91 Speng., 'cuius libri sane nobiles sunt super his, quae a Graecis accepta sunt' (Gell. XVI 12, 6 auctore Cloatio Vero).

7) schol. Odyss. ξ 485. Etym. Gud. 152, 7, cui accedit cod. Paris. a Bekkero ad Etym. Magn. 286, 42 enotatus, fragm. lex. etym. editum a Ritschelio prooem. indic. schol. Bonn. 1847, p. XII.

gulis litteris ut nunc in Etym. Gud. p. 152, 7 designata paullatim euanuerit. Haud raro laudatus etiam inuenitur *Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων*, ac si quis putet[8]) opus *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων* partem illius fuisse, in quo non modo de uerbis sed etiam de nominibus monosyllabis expositum fuerit, habet sane quibus sententiam suam firmare posse uideatur. Caue tamen, ne temere arripias locum Orionis Thebani p. 149, 20. *Στίζω· παρὰ τὸ στῶ στίζω. τὸ τὸν διακεχυμένον καὶ πεπλανημένον λόγον στῆσαι. ὁ δὲ Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ὀνομάτων· στίζειν τὸ τὰς ἐν τῇ ἀναγνώσει φορὰς ἐν στάσει ποιεῖν λέγομεν.* Namque unum hoc est eiusmodi testimonium idque librario dormitanti debetur. Vt enim Philoxenus de nominibus monosyllabis scripserit, quanam data occasione de uerbo *στίζειν* exposuisse eum putas? Reponendum utique est *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων.* A monosyllabo *στῶ* repetitur *στίζω*, ut a *κνῶ κνίζω*, a *τρῶ τρίζω* alia. Fortasse tamen iudicas in illa sane notatione *περὶ μονοσυλλάβων ὀνομάτων* titulum falso inuectum, factum uero id esse ex memoria quadam illius libri hoc loco minus opportune prolata. Atque ad hanc sententiam firmandam afferre possis Or. 120, 11. *Ὄπα· τὴν φωνήν. Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ Μονοσυλλάβων, παρὰ τὸν ἕψω μέλλοντα, οὗ θέμα ἕπω, ἕψω, ἕψ, καὶ τροπῇ τοῦ ε̅ εἰς ο̅, ὄψ. ὡς ἀπὸ τοῦ ἕλξω ἕλξ ὄνομα, καὶ τροπῇ τοῦ ε̅ εἰς ο̅ ὄλξ, καὶ ἐπεκτάσει ὦλξ.* Quodsi hoc exemplo nullus nisi de nominibus monosyllabis liber uideatur intellegi posse, compares schol. Odyss. ξ 485. *Ἐμμαπέως· ταχέως, ἅμα τῷ λόγῳ. οὕτω δὲ Φιλόξενος σχηματίζει τὴν λέξιν ἐν δευτέρῳ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων· παρὰ τὸ ἔπος γράφουσι σύνθετον τὸ ἀμεπής, ὡς ψεῦδος ἀψευδής κ. τ. λ.* Ex his igitur patefit de uerbo *ἕπω* huiusque paragogis exposuisse Philoxenum in libro *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων* Qui restant loci testimonio *ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων* instructi, eorum fere ipsa condicio clamat non posse nisi ex opere de uerbis monosyllabis desumptos esse. Habemus enim Et. Magn. 462, 56 explicatio-

---

8) Ita uisum est Stiehlio in commentatione 'de Tryphone Alexandrino' Philol. VI, p. 450, qui tamen in hanc rem non debebat antestari Lobeckium Paralip. gr. gr. p. 69 prorsus contrarium dicentem.

nem uocabuli ἰάλεμος scilicet a uerbo ἵημι (siue ὦ) reuocati, E. M. 442, 30 θάνατος a uerbo θῶ, Or. 67, 1 ζαχρειής a χρῶ, schol. Il. *K* 290 E. M. 691, 36 πρόφρασσα a φρῶ, quibuscum locis conf. schol. Eurip. Phoen. 264 καὶ Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων, ὅτε διαλαμβάνει περὶ τοῦ φρῶ κ. τ. λ. Iamque de opere quodam Philoxeni περὶ μονοσυλλάβων, quod tamquam partem continuerit libros περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων actum puto[9]). Alia uero quaestio haec est, num opus de monosyllabis uerbis pars fuerit τοῦ ῥηματικοῦ a Suida quidem non memorati, non uno tamen loco ab Etymologici Magni conditore compilati, quam sententiam Lobeck. Paralip. gr. gr. p. 69 proposuit. At praefracte id negabis, ubi quae ratio quodque institutum τοῦ ῥηματικοῦ fuerit, ex fragmentis intellexeris. Quibus accurate examinatis id unum illo opusculo Philoxenus egisse putandus est, ut analogiae leges secutus qua uia nomina verbalia ex ipsis uerbis conformata essent exponeret simulque quae nomina uiderentur esse uerbalia, re uera non essent, edoceret. Accedit remque confirmat, quod non tantum occurrit Φιλόξενος εἰς τὸ ῥηματικὸν αὐτοῦ sed etiam εἰς τὰ ῥηματικὰ αὐτοῦ E. M. 20, 29. 32, 32 [10]). Vt paucis nunc quae effecisse uideor complectar, non fuit opus περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων alius amplioris pars, sed ipsum peculiare opus omniumque quae scripsit grammaticus longe grauissimum.

---

9) Obiter notandum est titulum, qui semel deprehenditur E. G. 467, 18 in uocabuli πίθηκος notatione, Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ περισπωμένων ῥημάτων non alium librum significare, nisi ipsum περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων, id quod intellegitur tum ex cod. Paris. et Sorb. ad E. M. 471, 47, tum ex Cyrilli lexico Anecd. Paris. IV 188, 14 (ed. Cramer), quibus locis testis profertur Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων. Compilatori enim περὶ περισπωμένων titulus huic ipsi loco magis conueniens esse uisus est, quoniam uocabulum πίθηκος non a monosyllabo, sed disyllabo perispomeno πιθῶ deriuatum esset.

10) Procul dubio opusculum ab ipso Philoxeno inscriptum erat περὶ ῥηματικῶν siue περὶ ὀνομάτων ῥηματικῶν, quem indicem posteriores breuitatis studiosi isto modo mutabant prorsus similiter, atque in usurpando ipsius Philoxeni libro de comparatiuis modo dixerunt Φιλόξενος εἰς τὸ περὶ συγκριτικῶν, ut E. M. 31, 11 modo εἰς τὰ συγκριτικά p. 195, 11. 227, 34.

Hinc transeamus ad eum librum, cui Suidas titulum περὶ διπλασιασμοῦ (περὶ διπλασιασμῶν V), ego supra περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ tribui. Et sic longe plurimis locis inscriptus inuenitur. Sed in E. G. 32, 3 s. u. ἀλακάτη testis producitur Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ διπλασίων, quam scripturam manifeste corruptam Ritschelius de Oro et Orione p. 76, correxit in διπλασιασμῶν, sicuti distincte E. G. 24, 38. s. u. ἄκαλος legitur; atque illo titulo, quem etiam Larcherus ad Orion. lexic. p. 24 not. 56 ex alio codice attulit, Ritschelius fretus opus quoddam περὶ διπλασιασμῶν Philoxeno asseruit. Quod num recte factum sit, dubitari potest. Cum enim uocabulorum terminationes in grammaticorum libris per compendia saepissime scriptae sint ideoque sexcentiens deprauatae, id quod ipsa illa scriptura περὶ διπλασίων satis docet, apparet, quam procliui errore pluralis numerus inferri potuerit. Idque etiam magis probabile fit diuersorum codicum in eadem uoce testimoniis inter se comparatis. Nimirum in E. G. 32, 2 s. u. ἀλακάτη habes illud περὶ διπλασίων siue περὶ διπλασιασμῶν, codex Neapolit., cuius specimen Gaisfordius ante thesaurum suum uulgauit, exhibet p. XLIX D περὶ διπλασιασμοῦ, quocum conspirat unus cod. Vindobon., atque adeo cod. Paris. 2636 consimilis is Gudiano (Cram. An. Par. IV, 60. 6) οὕτως Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ itemque alter cod. Vindob.[11]) Est igitur in propatulo, si quidem librorum testimonia spectamus, non uideri titulum περὶ διπλασιασμῶν ab omnibus partibus stabilitum. Iam uero ipsius rei ratione habita exploratum est in fragmentis Philoxeni isto testimonio subornatis solum ἀναδιπλασιασμὸν locum habere posse (cl. Orion. 62, 18. 63, 7. 79, 5 alibi), nullo modo διπλασιασμόν, quem data opera Philoxenus omnino non tractauit[12]).

De opere περὶ τῶν εἰς μι ληγόντων ῥημάτων, cuius praeter Suidam uno loco Herodianus in schol. Il. Ω 665 menti-

---

11) Cod. Vindob. specimina quaedam uulgata sunt Annal. litter. antiq. 1840, p. 1195.

12) De differentia utriusque figurae quamque saepe illae inter se commutatae sint posteriori aetate, uid. Osann. ad Philem. p. 317 not. — Διπλασιασμόν grammatici accurate loquentes uocant eiusdem consonantis duplicationem (ex. gr. ἔδδεισεν, τόσσον), ἀναδιπλασιασμός existit syllaba in capite uocabulorum iterata.

onem fecit, non est, quod hoc loco moneam. Pluribus constitisse libris, non immerito Osannus Anecd. Rom. p. 315 ex Herodiani uerbis *Φιλοξένῳ δὲ ἀρέσκει ἐν τοῖς εἰς μι λήγουσι κ. τ. λ.* collegisse uidetur.

Restat opus *περὶ διαλέκτων*, quo titulo singulos de diuersis dialectis libros comprehensos fuisse demonstrat E. G. 339, 13, ubi auctor infertur *Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ διαλέκτων*. His libris percensendis post subtilissimam Schmidtii VI p. 660 sqq. disputationem quam paucissimis defungar. Accuratiorem notitiam eorum tantummodo accepimus, qui de dialecto Ionica et Romana[13]) erant, quorum praeclara extant fragmenta. De Aeolum dialecto scripsisse Philoxenum certis argumentis demonstrari nequit, magna tamen cum probabilitate conicias non modo propter disertum Suidae testimonium *καὶ τῶν λοιπῶν* sc. *διαλέκτων*, sed quod talem necessitudinem Philoxenus putabat intercessisse olim inter Aeolum et Romanorum sermonem, ut huius originem ex illo deducendam susciperet[14]). Nonne igitur uerosimillimum est eum, quem de Romano sermone scripsisse certo scimus, antea iam in libro de Aeolum dialecto fundamenta iecisse, quibus illud opus superstruere posset? Librorum de Laconum et Syracusanorum[15]) dialectis nullum adhuc certum fragmentum

13) Non paucis fragmentis maxime apud Orionem seruatis *περὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων διαλέκτου* liber non memoratus a Suida innotuit.

14) Id quod apparet e fragm. profecto specioso a Choerob. seruato in Bekk. An. Gr. III, p. 1184 (Choerob. ed. Gaisf. II, p. 505) *κανονίζομεν τὰ δυϊκὰ ἐκ τῶν πληθυντικῶν, ὡς λέγει ὁ Φιλόξενος, ἐπειδὴ τὰ δυϊκὰ ὑστερογενῆ εἰσιν. ὕστερον γὰρ ἐπενοήθησαν τὰ δυϊκά. ὅθεν οὐδὲ πᾶσα διάλεκτος κέχρηται τῷ δυϊκῷ ἀριθμῷ. οἱ γὰρ Αἰολεῖς παντελῶς δυϊκὰ οὐκ ἔχουσιν, ὥσπερ οἱ Ῥωμαῖοι ἄποικοι ὄντες τῶν Αἰολέων*: quae auctore non nominato idem longius persecutus est I, p. 109, 2—10 Gaisf.

15) Fortasse quispiam existimet ex hoc libro fragmentum seruatum esse ap. Or. 136, 15 *Πάππα φίλε· εἴρηται Ὁμήρῳ* [Odyss. ζ 57] *οὕτω δὲ ἐγένετο παρὰ Συρακουσίοις. ὁ πατὴρ πᾶς, καὶ ἀναδιπλασιασμὸς πάπας, καὶ πλεονασμῷ τοῦ π πάππας.* Philoxeni haec esse persuasum habeo, cum omnes ap. Or. 136, 9—137, 5 notationes huic tribui debeant. Dubium uero est, num libro de Syracusanorum dialecto assignanda sit notatio, an potius a quo loci condicio non abhorret *περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ* libro. Videtur enim ille aeque ac liber de Laconum dialecto Orioni omnino non notus fuisse.

noui — Simul uero data occasione attingere liceat opus περὶ Ἑλληνισμοῦ, quod peculiare scriptum fuisse uel illud docet Suidae testimonium, qui sex libris compositum fuisse tradit. Qualia fere praecepta in hoc Philoxenus dederit, intellegitur ex E. M. 331, 57 Ἑλληνισμός ἐστι τὸ καθ' Ἕλληνας διαλέγεσθαι, τουτέστι τὸ ἀσολοικίστως καὶ ἀβαρβαρίστως διαλέγεσθαι. Duo tantum apud Orionem[16]) fragmenta inuenimus, quamquam ibi Philoxeni nomen formas Φίλων et Φιλωνίδης induit, qua de corruptela iamiam identidem dictum est. Vid. Schmidt. IV, p. 636 sq.

---

16) p. 90, 8 κρούειν. κυρίως ἐπὶ τῶν κερατοφορούντων. κυρίττειν γάρ ἐστι τὸ τοῖς κέρασι κρούειν. οὕτω Φιλωνίδης ἐν τῷ περὶ Ἑλληνισμοῦ. Quid hoc loco uult uerbum κυρίττειν? Desideratur potius uerbum aliquod, unde κρούειν ortum sit. Iam cf. E. G. 349, 42 κυρίως δὲ τὸ κρούειν ἐπὶ τῶν κερατηφόρων εἴρηται. κορούειν γὰρ τὸ τοῖς κέρασι παίειν καὶ κατὰ συγκοπὴν κρούειν· οὕτω Φιλόξενος. Cf. etiam E. M. 541, 38 sqq., ubi cod. V κρούων· ἔστι μονοσύλλαβον κρῶ, ἢ μᾶλλον κέρας κερούω καὶ κορούω καὶ κρούω. κυρίως γὰρ ἐπὶ τῶν κερατοφόρων λέγεται τὸ τοῖς κέρασι παίειν. Duae notationes hoc loco conglutinatae sunt, quas Orio p. 85, 8. 90, 8. seiunctas praebet. Prior nunc in Orionis lexico testimonii expers et ipsa Philoxeni est, atque ni fallor ex opere περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων deprompta. Posterior simul in E. G. et E. M. recepta ex his ipsis emendetur oportet. Pro κυρίττειν igitur reponendum est κερούειν. —

p. 21, 24. ἀκόλαστος, ὁ ἀπαίδευτος, διὰ τὸ μὴ ἀγωγῆς καὶ κολάσεως τετυχηκέναι τῆς ἐπιτηδείας. οὕτω Φίλων· addunt excerpta Koësii p. 185, 17. E. G. 27, 50 ἐν τῷ περὶ Ἑλληνισμοῦ. Quae in E. M. 50, 18 extat: παρὰ τὸ μὴ κολάσεως τετυχηκέναι, τουτέστι παιδείας, ea scriptura, quamuis sit non inepta, tamen uidetur orta esse e corruptela, quam ostendunt exc. Koës. l. l. E. G. 27, 49 τις ἐπὶ παιδείας.

Capvt II.

De auctoribus, quorum scriptis fragmenta Philoxeni seruata sunt.

Summa fuit Philoxenus, ut uel librorum index ostendit, in pertractandis rebus grammaticis industria et profecto magna cum doctrina nec uulgari iudicii acumine in iis uersatus est. Non igitur mirabimur scripta eius a posterioris aetatis grammaticis saepenumero in proprium usum collata examinata quin etiam ad uerbum magnam partem descripta esse. Atque Herodianum non paucis locis, quorum numerum coniectando ualde adaugere possis, Philoxeni praecepta aut secutum esse aut impugnasse supra iam dictum est. Quoniam uero nunc de scriptis etymologicis agitur, praecipui fontes, e quibus Philoxeni reliquiae eruantur, laudanda sunt Etymologica Graeca, quorum in hac quaestione utique primum locum obtinet lexicon etymologicum Orionis Thebani Aegyptii a Larchero e codice Parisino descriptum, tum a Sturzio editum. Tempus quo uixit Orio inde constat, quod florilegium sententiarum ad Eudociam, uxorem imperatoris Theodosii minoris, misisse atque inter discipulos Proclum habuisse traditur. Floruit igitur medio fere p. Chr. n. saeculo quinto[1]. Ab eodem neque ab altero quodam Orione Alexandria oriundo, cui Suidas tribuit, scriptum esse lexicon etymologicum ipsius aperte docet inscriptio *Ὠρίωνος Θηβαίου γραμματικοῦ Καισαρείας περὶ ἐτυμολογιῶν*. Quo potissimum libro cum tota haec disputatio nitatur, res ipsa fere postulat, ut antea de eius indole et instituto exponam, quandoquidem, quod Ritschelius olim pronuntiauit operae pretium fore, si quis in fontes lexici Orionii

1) Vid. Ritschelii commentat. de Oro et Orione. (Vratislauiae 1834 ed.) p. 5 sqq.

accuratius inquireret, id nemo adhuc munus in se suscepit. Nimirum quascumque apud Orionem uocabulorum notationes legimus, earum ualde erraret, qui uel unam ab ipso Orione de suo additam crederet. Immo et ipse, uti ceteri inferioris aetatis magistri, totus pendet ab iis artis auctoribus, qui nonnullis ante ipsum saeculis grammaticam excoluerunt et ad cacumen prouexerunt. Atque fuit profecto Orio homo mediocris ingenii, artis criticae prorsus expers, qui aliorum siue inuenta siue commenta nulla facta diiudicatione securus in opusculum suum congessit. Pluribus autem fontibus eum usum esse non tantum eo intellegitur, quod haud raro eiusdem uocis identidem notationes inueniuntur plerumque plane inter se diuersae (ut in *A* littera uu. *ἀγαθός* 1, 1. 29, 1. *ἀγανός* 3, 8. 30, 9. *ἀκήν* 8, 3. 11, 13. cl. 69, 15. *ἀκμή* 14, 23. 20, 12. *ἄλεισον* 8, 21. 23, 11. *ἀμαλδῦναι* 15, 16. 24, 22. *ἀμβροσία* 19, 11. 30, 26. *ἀμέρδω* 13, 16. 20, 8. *ἄμπελος* 10, 18. 30, 16. *ἄμυδις* 11, 18. 31, 10. *ἀσκελές* 9, 14. 20, 15. *Ἀσκληπιός* 9, 15. 15, 8. 30, 12. *ἀστεροπή* 13, 21. cl. 146, 16. 17, 23. *ἀσχαλάαν* 7, 27. 20, 34. *ἀχλύς* 11, 8. 19, 15. *ἄχνη* 7, 12. 23, 12), sed ipse etiam fassus est subiectis saepenumero auctorum nominibus. Quibus cum longe maxima pars uocabulorum careat, quaerendum est, num siue ex iis testimoniis, quae nunc suppetant, siue alio quo pacto horum quoque fontes indagare liceat. Qua in re si quis unam uel alteram litteram integram perlustrauerit, facile hoc sentiet persaepe unius auctoris, quem compilauit Orio, plura testimonia se excipere, ita ut appareat, quas uocabulorum notationes Orio ex uno fonte desumpserit, eas non discerptas sed coniunctas in lexicon receptas esse. Atque haec eadem caussa est, cur non ad litterarum ordinem singulas uoces dispositas, sed, ut nunc statim dicam, secundum fontes e quibus haustae sint ordinatas habeamus. Quod ut exemplis iam probemus, ab iis proficiscendum est, quae omnium planissima uidentur esse. Nimirum in quibusdam notationibus aliud etiam accedit argumentum firmissimum, quo id quod de ordine dixi probetur, eas dico notationes, quae ex opusculo etymologico Sorani[2]), medici et gramma-

---

2) Suidas: *Σωρανὸς Μενάνδρου καὶ Φοίβης, Ἐφέσιος, ἰατρός, διατρίψας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ ἐν Ῥώμῃ δ' ἰατρεύσας ἐπὶ Τραϊανοῦ*

tici, repetitae sunt. Scripserat ille *περὶ ἐτυμολογιῶν τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου* (Orion. p. 34, 9. 131, 4). Quo libro cum eorum tantum uocabulorum origines explicasset, quae ad corpus humanum pertinerent, uides, quodnam auxilium illud in nostram rem suppeditaturum sit. Ex. gr. ap. Or. in littera *Σ*, ubi tribus uocibus *σιαγόνες* 145, 4 *στῆθος* 145, 22 *σκέλη* 145, 28 Sorani auctoris testimonium subiectum reperitur, omnes ad unam undeuiginti notationes a uoce *σπλήν* 143, 27 usque ad *σκέλη* 145, 32 eidem Sorano debentur. Eodem modo in littera *Π* p. 128, 19—131, 8 septem et decem notationes, e quibus duarum tantum Orio fontem testatus est, Sorano reddendae sunt. Neque undecim originationes in littera *Γ* p. 39, 11—40, 12 collocatas, quamquam semel laudatur Soranus, semel Philoxenus *ἐν τῷ περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ*, ad eundem auctorem referre dubitabis. Nolo reliquas litteras nunc eodem modo perlustrare, cum quiuis ipse, si quaerat, facili negotio Sorani frusta inuenire possit. Habemus enim ipsorum uocabulorum explicatorum argumenta ac significationes tam non fallacia uestigia, ut in multis saepe litteris quae e Sorano haustae sint notationes licet nulla una auctorem testificante ad certum numerum reuocare possimus. Hoc tantum moneo, ne forte haereas, ubi in istiusmodi uocabulis alios praeter Soranum testes laudatos inueneris. Saepenumero enim factum est, ut Orio quorum auctorum testimonia in Sorani commentariis deprehendebat statim in suum lexicon transcriberet ipsius Sorani nomine saepe praetermisso, ut loco illo paullo ante memorato p. 39, 20 factum est. Vnum etiam exemplum peridoneum apponam. In littera *Α* p. 15, 22—17, 13 tractantur duodecim uocabula continua (namque de

---

καὶ Ἀδριανοῦ τῶν βασιλέων, βιβλία τε συντάξας πλεῖστα καὶ κάλλιστα. Nihil impedit, quominus hunc Soranum eundem quem Orio compilauit fuisse existimemus. Idque probabile fit temporis quo teste Suida uixit habita ratione. Namque in fragmentis Sorani, quae apud Orionem leguntur, saepius quidem Philoxenus tamquam Sorani auctor nominatur, contra Herodiani aequalis M. Aurelio imperatori nullo loco testimonium excitatur: ex quo non immerito colligimus Soranum Herodiani tempora antecessisse. — Alterius etiam Sorani Ephesii iunioris Suidas mentionem facit, quem tamen ipsum sibi finxisse existimat Osannus, de Heraclide Homeri carminum diorthota (Gissae 1853) p. 12 n. 12.

his tantum, ut apparet, haec omnia ualent) spectantia illa ad hominis siue corpus siue naturam. Atqui Sorani nulla mentio facta. Immo auctor infertur semel Plato, semel Chrysippus stoicus, ut Empedoclem omittam. Nihilo minus omnes illae notationes Sorano tribuendae sunt. Quod cum in Sorani frustulis discernendis probe aduerti debeat, apponam indiculum eorum auctorum, quos a Sorano nominatos inueni. Occurrunt Apollodorus[3]) 81, 12. 116, 22. 129, 13. 163, 27. 170, 3. Aristoteles 116, 21. Heraclides 93, 22. 170, 7. Plato 16. 10. 144, 24. Philoxenus 81, 8. 155, 4. idem ἐν τῷ περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ 39, 20. Leuioris enim hac in quaestione momenti ei auctores sunt, e quibus Soranus non ipsas uocabulorum originationes sed exempla tantum hausit, ut Empedocles philosophus 16, 8. Hippocrates 82, 4. Sophron 144, 16. Homerus 17, 12. 92, 19 alibi. Callimachus 116, 29. Series uero illa continuarum notationum e Sorano sumptarum cum sane in multis ac profecto plurimis litteris certo indagari possit, non tamen desunt ubi aut frustra quaeratur aut res ualde incerta sit. Velut littera *T* Sorani additamentis prorsus carere uidetur, quod num Orionis in usurpandis fontibus leuitate quadam et inconstantia factum sit, ego non affirmauerim. In omnes autem litteras, quae Sorani frusta continent, aequo modo hoc cadit neque statim ab initio singularum litterarum neque in fine illa posita esse.

Namque, ut iam ad alterum fontem lexici Orionii transeamus, quae illis proxime antecedunt notationes in ipsa fronte litterarum collocatae, e commentariis in poetas maxime in Homeri carmina scriptis desumptae uidentur, licet ita rem se habere ob testimoniorum in his partibus penuriam paullo sit probatu difficilius. Nonnihil tamen momenti ad rem diiudicandam in eo cernitur, quod saepissime uocabula de quibus exponitur eadem forma induta inueniuntur, qua apud Homerum leguntur. Quod cum dico, non sum nescius sexcentiens euenisse, ut ei quoque, qui data opera res grammaticas tractabant, in scriptis suis ad Homeri consuetudinem respicerent. Vsurpauit ut ipse

3) Apollodorum certe non ipse Orio usurpauit. Testimoniis, quae in Sorani partibus occurrunt, remotis duo tantum restant p. 79, 9. 80, 15 utrumque ni fallor e commentariis desumptum.

fassus est Orio commentarios in poetam 157, 35, ad quem etiam spectant ni fallor p. 54, 8. 55, 20. 111, 9, quibus locis testatur *οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι*, in Iliadem 52, 9. 98, 12. 166, 29 (ubi legendum est *ἐν ὑπομνήματι τῆς Ἰλιάδος*), in Odysseam 8, 22. 9, 2, in Sapphonem 3, 13, in Anacreontem 3, 13, in Aristophanem 8, 24. 19, 5. Semel memorauit Didymi commentarios 1, 8. Huc etiam spectat Aristonici mentio 43, 13. De ceteris eiusdem grammatici testimoniis, quae alius generis sunt, infra dicetur. Quae testimonia numero sane pauca ualde tamen non tam ex coniectura quamuis sat probabili, quam ex certa Etymologici Magni memoria augeri possunt. Constat enim multas Orionis notationes, quae nunc unde haustae sint non profitentur, olim testimoniis ornatas fuisse; unde factum est, ut Etymologici Magni auctor, qui scilicet integrius, quam quod nos hodie habemus, Orionis exemplum in thesaurum suum contulit, hic illic testimonia nunc apud ipsum Orionem recisa nobis seruauerit. Quod quidem in hac disputatione non nihil ponderis habiturum ut magis perspiciatur, exempla quaedam apponam, quae maxime quid rei sit declarent:

Or. 44, 14 *Δόρυ· δρύον ἂν εἴη παρὰ τὴν δρῦν, οἷον δρύϊνον.*	Cod. Sorb. ad E. M. 238, 20 *Δόρυ· δρύον ἂν εἴη παρὰ τὸ δρῦν, οἷον δρύϊνον. οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι Θέωνος εἰς τὴν Ὀδύσσειαν.*
Or. 92, 3 *Λίμνη· τὰ συνεστῶτα ὕδατα παρὰ τὸ λίαν καὶ διόλου μένειν. διὸ καὶ ὁ Ὠκεανὸς, ἀκαλαρείτης ὤν. ἢ παρὰ τὸ λείβειν, ὅ ἐστι ῥεῖν.*	E. M. 566, 12 *Λίμνη· τὰ συνεστῶτα ὕδατα, παρὰ τὸ λίαν καὶ διόλου μένειν. διὸ καὶ ὁ Ὠκεανὸς, ἀκαλαρείτης ὢν, λίμνη κέκληται· οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι τῆς Ἰλιάδος. καὶ ἐν ἄλλῳ· παρὰ τὸ λείβειν, ὅ ἐστι ῥεῖν.*

Cf. Or. 107, 7 cum E. G. 412, 5 cod. Sorb. ad E. M. 606, 33 *οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι Ἰλιάδος.* Qua uia uberrima Orionis testimonia paullatim librariorum culpa euanuerint, nescio an ullus locus doceat hoc clarius:

Or. 1, 7 Ἀρετή· αἱρετή τις οὖσα, ἣν αἱροῦνται πάντες· οὕτω Δίδυμος ἐν ὑπομνήματι. ὁ δὲ Ἡρακλείδης κατὰ μετάθεσιν στοιχείων, ἐρατή τις οὖσα, ἡ ἐπέραστος κτῆσις· ὡς δὲ ἄλλοι, ἀρεστή, καὶ ἀποβολῇ τοῦ σίγμα, ἀρετή, ἡ πᾶσιν ἀρέσκουσα.

Exc. Koës. p. 185, 25 cl. cod. Paris. ad E. M. 138, 25 Ἀρετή· αἱρετή τίς ἐστιν, ἣν αἱροῦνται πάντες· οὕτω Δίδυμος ἐν ὑπομνήματι. ὁ δὲ Ἡρακλείδης ἐν τῷ περὶ ἐτυμολογίας φησὶ κατὰ μετάθεσιν, ἐρατή τις οὖσα, ἡ ἐπέραστος κτῆσις. ὡς δὲ ἐν ὑπομνήματι εὗρον Θέωνος, ἀρεστή, καὶ ἀποβολῇ τοῦ σ̄, ἀρετή, ἡ πᾶσιν ἀρέσκουσα.

Omnes autem Orionis notationes huiusmodi testimoniis siue nunc instructas siue ex Etymologicis maioribus augendas ubi euolueris, intelleges non nisi in prima parte singularum litterarum inueniri proximeque praecedere ea frusta, quae e Sorano hausta sint, perpaucis tantummodo ut p. 19, 5 exceptis. Ex his probabile fit Orionem quem fructum e commentariis perceperit per horreum suum non dispersisse huc illuc, sed in unum collegisse collectumque certo loco collocasse.

Tertius Orioni fons isque uberrimus Herodiani erant scripta, in quibus permultas uocabulorum originationes larga manu effusas inueniebat. Lectitauit Orio et in usum suum conuertit eius libros περὶ παθῶν, ὀρθογραφίαν, ἐπιμερισμούς, συμπόσιον[4]). In quo perquam mirum est, quod quaecunque ex istis operibus descripsit non, sicuti in ceteris usurpandis fontibus consueuit, coniuncta ea in lexicon suum congessit, sed segregauit fragmenta ὀρθογραφίας librorumque περὶ παθῶν ab iis, quae ἐπιμερισμοὶ et συμπόσιον ei praebebant. Atque illa quidem plerumque statim subiunxit Sorani frustulis, haec sub finem singularum litterarum collocauit. Vt in littera *O* Sorani partibus p. 117, 17 finitis iam Herodiani librorum ὀρθογραφίας et

---

4) Vno tantum loco, p. 41, 9, memorat Ἐλέγχους. Neque multum ex prosodia siue catholica siue Homerica, utraque semel (p. 150, 26. 168, 25) allata profecisse uidetur quippe omnia, quae ad prosodiam uocabulorum pertinerent, non magni facere solitus.

περὶ παθῶν frustula nonnulla inferuntur p. 117, 18 — 118, 10 utroque opere semel commemorato p. 117, 29. 118, 2. Tum uero amplo interiecto spatio quinque paginarum, quibus ne uno quidem loco Herodiani mentio fit, sub finem litterae haec habes testimonia, quae integra apponam: 123, 5 *ὁ δὲ Ἡρωδιανός* ..... *ἐν Ἐπιμερισμοῖς*. 124, 2 *Ἡρωδιανὸς ἐν Ἐπιμερισμῷ*. 124, 5 *οὕτως Ἡρωδιανὸς ἐν Ἐπιμερισμοῖς*. 124, 8 *ὁ δὲ Ἡρωδιανός*. 124, 16 *οὕτως Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ*. 124, 29 *οὕτως Ἡρωδιανός*. In *E* mox post Soranum, cuius notationes p. 57, 1 absoluuntur, laudatur *Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ περὶ Παθῶν* 57, 18. 34. *ἐν τῇ Ὀρθογραφίᾳ* 57, 9; tum post longum interuallum sub finem *Ἡρωδιανὸς ἐν Ἐπιμερισμοῖς* 63, 33. nude *Ἡρωδιανός* (intellegendum uero *ἐν Ἐπιμερισμοῖς*) 63, 27. 64, 2. 8 omniaque hinc usque ad p. 66, 18 eidem danda sunt. In *A* deprehenditur statim post Soranum *Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ Ὀρθογραφίᾳ* 17, 6. *ἐν τῷ περὶ Παθῶν* 17, 24 (quo etiam spectat *οὕτως Ἡρωδιανός* 18, 21). Tum de Herodiano altum silentium. In calce uero eius partis *Ἡρωδιανὸς ἐν Ἐπιμερισμοῖς* 30, 16. 24, nude is positus 28, 18. 30. 29, 6. 25. 30, 9. Vnum etiam luculentum exemplum addo. In littera *Π* Sorani additamenta desinunt p. 131, 8. Tum succedant oportet, si recte disputauimus, fragmenta *ὀρθογραφίας* et *παθῶν*. Nulla tamen in iis, quae proxime secuntur, illorum testimonia excitantur, quamquam omnes notationes inde a *πίσυνος* 131, 9 usque ad Heraclidis mox factam mentionem, si indolem spectaueris, una fere uoce Herodianum conclamant auctorem. Ac uide quem in modum et hoc loco res conficietur ope Etymologici Magni, quod notationibus uerbi *πινύσκω* p. 672, 45 et *παῤῥησία* p. 655, 9, simillimis iis Orioniis p. 131, 10. 15 utrique apertum subicit *περὶ παθῶν* testimonium. Et ne quid desideres sub finem litterae *Π* iterum inducitur apud Orionem, ut ipsi exspectabamus, testis *Ἡρωδιανὸς ἐν Συμποσίῳ* 137, 31. 138, 4. *ἐν Ἐπιμερισμοῖς* 138, 17. 32. Quod si quaeris, quomodo factum sit, ut Orio contra consuetudinem suam unius auctoris fragmenta ista ratione distraxerit, pro certo quidquam non licet affirmare. Eo uidemur redacti esse, ut statuamus Orionem primum quidem in lexico concinnando solos Herodiani libros *ὀρθογραφίας* et *περὶ παθῶν* com-

pilasse, tum uero, cum finito iam opere etiam *συμπόσιον* et *ἐπιμερισμοί* in manus incidissent, horum quae utilia uisa essent frustula sub finem uniuscuiusque litterae agglutinasse; quamquam hoc sane dubium est, utrum ipse Orio id fecerit, an alius post ipsum grammaticus lexicon recensuerit istisque additamentis adauxerit. Neque uero id debet neglegi, quod mentio prosodiae et catholicae et Homericae non nisi extremis litterarum partibus facta est.

Totum uero spatium, quod inter utrumque genus fragmentorum Herodianeorum modo significatum in singulis litteris intercedit, maxima ex parte continet excerpta primum ex Heraclidis Pontici, deinde Philoxeni libris. Heraclides grammaticus, qui temporibus Claudii et Neronis Romae traditur scholae praefuisse [5]), scripserat librum *περὶ ἐτυμολογίας* siue *περὶ ἐτυμολογιῶν* [Exc. Koës. 185, 26. 186, 10. E. G. 99, 50. 106, 19]. Et ex hoc libro omnes fere quae Heraclidi debentur uerborum originationes Orio hausit [6]), quem tamen mireris ne semel quidem nunc ipsum libri titulum commemorare, pluribus uero locis, quae non debebat Osannus [7]) tentare, auctori certum idque minime

---

5) Suidas: *Ἡρακλείδης Ποντικός, ἀπὸ Ἡρακλείας τῆς Πόντου, γραμματικός, ὅστις Διδύμῳ τῷ πάνυ κατὰ τὴν Ἀλεξανδρέων ἐφοίτησεν. οὗτος ἐπειδὴ ἤκουσεν Ἄπερος τοῦ Ἀριστάρχου μαθητοῦ εὐδοκιμοῦντος κατὰ τὴν Ῥώμην πολλά τε τὸν Δίδυμον διασύροντος, ἔγραψε μέτρῳ Σαπφικῷ ἤτοι Φαλαικίῳ βιβλία γ̄ δυσερμήνευτα καὶ πολλὴν τὴν ἀπορίαν ἔχοντα προβαλλομένων ζητημάτων, ἅτινα Λέσχας ἐκάλεσεν. εἰς Ῥώμην δὲ κομίσας καὶ τοῦ Ἄπερος καταφανεὶς* (?) *κατέμεινε σχολαρχῶν ἐν αὐτῇ ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Νέρωνος. ἔγραψε δὲ καὶ ποιήματα ἐπικὰ πολλά.* Citatur Heraclides *ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς Λέσχης* a Choerob. in Bekk. An. III, 1196. *ὑπόμνημα πρώτης Λέσχης Ἡρακλείδου* occurrit E. G. 297, 50 allatum ab Oro grammatico. V. Ritschel. de Or. p. 77.

6) Namque uno tantum loco eiusdem *περὶ δυσκλίτων ῥημάτων* librum commemorat p. 54, 2.

7) Fragmenta libri *περὶ ἐτυμολογιῶν*, quode Suid. tacet, coll. Frid. Osannus in quaestt. Homericar. partic. III inscr. 'De Heraclide, Homeri carminum diorthota' (Gissae 1853) p. 8—13; quem, ubi de auctore illorum fragmentorum exposuit, partic. IV (1854) p. 11—14 miror hunc librum Pontico Heraclidi abiudicasse atque alteri cuidam Heraclidi cognomine Milesio, quem illi fere aequalem fuisse existimat, attribuisse; 'quod etiam ad eos locos pertinet, qui Pontici Heraclidis

suspectum *τοῦ Ποντικοῦ* cognomen imponere. Huius igitur fragmenta et ipsa ut ceterorum auctorum in singulis litteris continua serie coniuncta plerumque Herodiani e libris *ὀρθογραφίας* et *περὶ παθῶν* excerptis solent succedere; quod magis sane perspici posset, si Orio saepius, quam factum est, Heraclidem auctorem testatus esset. Quamquam etiamnunc aliquot notationibus possunt ex Etymologico uel Gud. uel Magn. testimonia recuperari. Velut Or. 35, 11 cl. E. G. 106, 9 *οὕτως Ἡρακλείδης ἐν ταῖς ἐτυμολογίαις αὐτοῦ.* Or. 83, 19 cl. E. G. 295, 48 *οὕτως Ἡρακλείδης.* Or. 119, 19 post uerba *τὴν πνοήν* eodem modo intercidit testimonium *οὕτως Ἡρακλείδης* a Sorano scilicet interiectum, reuocandum ex E. M. 654, 2. Vnum saltem locum adscribam:

Or. 134, 10 *Παρθένος· ὥς τινες, παρ' οὐδενὸς λαβοῦσα ἕδνον.*	E. M. 654, 48 *Παρθένος·* . . . . *ὁ δὲ Ἡρακλείδης, ἡ παρ' οὐδενὸς οὐδὲν λαβοῦσα εἰς ἕδνα.*

Atque ut nunc quoque quae diximus exemplis probemus, in littera *Σ* sex locis deinceps Heraclidis testimonia excitantur, nec dubium est, quin omnes p. 146, 34 — 147, 18 originationes eidem sint reddendae. Namque inde a p. 147, 18 Philoxenus regnare incipit; in iis uero, quae proxime Heraclidis frustulis antecedunt Herodiano quippe tribuenda, forte factum est, ut nulla nunc eius memoria remanserit. Similiter in littera *Π* post Herodiani *ἐν τῷ περὶ παθῶν* 117, 29 et *ἐν τῇ ὀρθογραφίᾳ* 118, 2 factam mentionem (Philoxeni enim testimonium 118, 16 ab eodem Orionem mutuatum esse probabile est) occurrit Heraclides Ponticus 118, 28. 119, 1. 3. Tum demum longum notationum Philoxeniarum agmen inducitur. In *K* habes 82, 15 *Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ Ὀρθογραφίᾳ.* 83, 19 (cl. 179, 13) *οὕτως Ἡρακλείδης.* tum 84, 32 sqq. *Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων.* Nolo plura exempla afferre. Neque

---

nomine laudantur, quibus, quum iuniori illi, ut infra demonstrabitur, iure uix tribui possint, nullus dubito, quin Pontici cognomen ex male sedula industria compilatorum u e t e r i s Pontici intempestiue recordantium adiectum sit.' Argumenta, quae secuntur p. 13. 14, si accuratius examinaueris, nulla sunt.

eos nunc locos attingo, qui instituto et ordini lexici Orionii adumbrato aduersari uideantur hac de re paullo post accuratius expositurus.

Properandum enim est ad Philoxenum antiquorum etymologorum in primis nobilem, cuius gratia omnis haec de Orionis fontibus disquisitio instituta est. Cuius operum Orioni quattuor tantum uidentur innotuisse; lectitauit certe et compilauit libros *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*, *περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ*, *περὶ τῆς Ἰάδος διαλέκτου*, *περὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων διαλέκτου*. Non immerito hinc colligas ea maxime scripta ob ipsorum praestantiam ueteribus celebrata ac probata fuisse. Ac profecto nos quoque habemus, cur de illis magna ex parte seruatis nobis gratulemur. Fragmenta enim tam multa in iisque tam egregia extant, ut de indole illorum operum certius iudicandi facultas data sit. Saepissime Orio Philoxenum auctorem testatus est; permultis praeterea locis aliunde testimonia repetere possumus. Confer ex. gr.

Or. 84, 6 *Κναφεύς· παρὰ τὸ κνάπτω, ὅ ἐστιν ἀπὸ τοῦ κνῶ, τὸ ξύω. ξύουσι γ`ρ τὴν τῶν ἀκνάπτων ἱματίων κροκίδα.*	E. G. 330, 10. E. M. 521, 40. *Κναφεύς· παρὰ τὸ κνάπτω, ὅπερ ἐστὶν ἀπὸ τοῦ κνῶ, τὸ ξύω· ξύουσι γὰρ τὴν τῶν ἀκνάπτων ἱματίων κροκίδα. οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων.*

Si quis plura uelit, conferat Or. 24, 9 cum E. G. 24, 38. cod. Sorb. ad E. M. 44, 37 *οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ διπλασιασμῶν*, quo de titulo supra sententiam meam aperui. Or. 29, 11 cl. E. G. 85, 30 *οὕτω Φιλόξενος*. Or. 134, 1 cl. E. G. 467, 18. cod. Paris. ad E. M. 671, 47. Cram. An. Paris. IV, 188, 13 *οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*, alia. Vbi uero prorsus testimoniis derelinquimur, suppetit in Philoxeni fragmentis ab aliorum grammaticorum dignoscendis subsidium quoddam longe id alia in re positum. Namque quod supra de Sorano disputantes uidimus, in explicatorum uocabulorum materia auctorem cerni, idem nunc ex ipsa uocabula tractandi ratione efficitur. Etenim fere omnium quae e Philoxeni libris

hausta sunt fragmentorum ea est condicio atque indoles, ut, si quidem rationes etymologi recte perspexeris, de auctore uix iam dubitare possis. Itaque non adeo difficile est in singulis apud Orionem litteris fragmentorum Philoxeniorum fines accuratius circumscribere. Praemissa ea sunt iis notationibus, quas sub finem litterarum collocatas ex Herodiani symposio et epimerismis desumptas esse ostendi. Ex. gr. in littera *X* p. 164, 20—166, 2 fragmenta Philoxeni uno tenore pertexta sunt numero quindecim quinquiens auctoris nomine apposito. Tum succedunt Herodiani epimerismi. In *Φ* copias Philoxeni habes p. 160, 19—162, 10 (12); in *Υ* p. 156, 25—157, 14; in *T* p. 152, 7—154, 14; in *B* p. 36, 18—37, 15 etc.

Vt iam disputationis nostrae summam breui comprehendamus, praecipui fontes, quibus lexicographus usus est, fuerunt commentarii in poetas, Sorani *περὶ ἐτυμολογιῶν τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου*, Herodiani *ὀρθογραφίας* et *περὶ παθῶν*, Heraclidis Pontici *περὶ ἐτυμολογιῶν*, Philoxeni libri modo nominati, denique Herodiani *συμπόσιον* et *ἐπιμερισμοί* hoc ipso ordine illi usurpati. Si unius totius litterae notationes secundum hosce fontes segregare uelis, maxime ei consilio fauet littera *N* utpote non eas difficultates paratura, de quibus nunc demum dicendi locus erit.

Namque quae de Orionii lexici discriptione generatim magis et strictim exposui non eo usque ualere, ut omnis notatio, cuiuscumque illorum auctorum est, ad sententiam nostram sese accommodet, ex ipsius disputationis locis quibusdam ipse iam intellexisti. Pluries enim ordo ille ita mutatus et perturbatus uidetur esse, ut omnia quae supra dixi in dubium uocari possint. Cum autem ad singulorum huius modi exemplorum disquisitionem descendere ipso proposito nostro prohibeamur, perturbationis illius caussas nunc breuiter indicabo. Ad quattuor potissimum genera reuocari eae possunt. Primum enim hoc tenendum est Orionem non eam quasi legem in lexico concinnando sibi imposuisse, ut notationes, quas e singulis fontibus deinceps hauriret, secundum ipsam fontium seriem accurate digereret certo ordine constanter seruato. Immo id non consilio magis, quam sponte effectum est, et si quod consilium accederet, nullum erat nisi ut labor imminueretur. Iam vero praeter fontes adhuc enumeratos aliorum quorundam auctorum libros inspexit, si quid

inde lucrari posset, e quibus praecipue memorandi sunt Apollonius Dyscolus *ἐν τῷ περὶ Ἐπιῤῥημάτων*[8]), Aristonicus in libris *περὶ Σημείων*[9]), Irenaeus Atticista[10]), grammaticus Alexandrinus et Heliodori discipulus, Helladius Besantinus[11]), auctor Chrestomathiae. Eorum autem librorum cum non ea esset condicio, ut tantum in explicandis uocum originibus uersarentur, paucula inde delibauit Orio, eaque non certo loco collocauit, sed uti fors ferebat lexico suo intermiscuit. Qua re factum puto, ut in media notationum Philoxeniarum serie, quam habemus in *Φ* 160, 8 — 162, 12 occurrant testimonia Irenaei p. 161, 8, Besantini 161, 15. Similiter in *Υ* testis inducitur Philoxenus 156, 28. 31, deinde Irenaeus Atticista 157, 5, tum iterum Philoxenus 157, 9. 13. Luculentum praeterea exemplum extat 153, 4, ubi laudatur Besantinus ex utraque parte Philoxeni copiis fere oppressus. Possit quispiam conicere Irenaei certe et Helladii notationes postea demum a grammatico aliquo, qui lexicon in suum usum describeret, additas esse, eaque sententia habet profecto, quo sese commendet. Id uero constat partes illas iam ab Etymologici Magni conditore apud Orionem inuentas fuisse. Namque E. M. p. 685, 57 u. *Πότνια* subscripta habemus uerba *Οὕτως Βησαντῖνος ἐν τῷ περὶ Χρηστομαθείας. Ὧρος*, scribendum autem cum Ritschelio de Oro p. 29 *Ὠρίων* quem uide p. 135, 3. Nec dubium est, quin etymologus p. 780, 49 Irenaei testimonium ex Orione p. 157, 4 mutuatus sit, non ex Oro, ut nunc legitur.

Altera turbati saepe ordinis causa in eo cernitur, quod Orio pluribus locis iis testimoniis, quae ipsi praebebant fontes, suum opus adornaret auctore e quo sumpserit tum nominato, tum, quod saepius factum est, tacito. Hanc rem supra iam, dum in Sorani frustulis uersor, attigi. Vel pauca exempla quid uelim demonstrant. In *K* p. 80, 24 — 82, 12 omnes ad unam originationes Sorani sunt. Pessime igitur Philoxeni 81, 8 et Apollo-

---

8) Semel occurrit *ἐν τῇ Μετοχῇ* 89, 8 semel *ἐν τῷ Ῥηματικῷ* 2, 11.

9) Eius nomen cum Lehrsio de Aristarch. p. 4 etiam p. 96, 28 restituendum erit, ubi nunc legitur: *οὕτως Ἀρίσταρχος ἐν τοῖς Σημείοις Ἡσιόδου*; nisi cum Beccardo de schol. in Hom. Iliad. Venet. p. 20 scribere malis: *οὕτως Ἀρίσταρχος· Ἀριστόνικος ἐν τοῖς σ. Ἡσ.*

10) V. Suid. u. *Πάκατος* et *Εἰρηναῖος*.

11) V. Larcher ad Or. p. 35, n. 82, p. 135, n. 55.

dori 81, 12 testimonia seriem illam interrumperent, nisi ab ipso Sorano eorum mentionem factam esse sana ratio persuaderet. V. 155, 4 alibi. Eodem modo testimonia Philoxeni p. 29, 6. 118, 17. 146, 3. Heraclidis Pontici 49, 24 Herodiano deberi per est uero simile. Monendum uero est nullo modo uideri Orionem e Philoxeni scriptis aliorum grammaticorum testimonia comparasse. Philoxenus enim, sui uir in omnibus rebus iudicii, quantum uideo, nunquam Apollodori uel alius etymologi sua aetate superioris mentionem fecit.

Tertia suppetit caussa satis late patens. Supra iam dixi multorum uocabulorum uarias saepe notationes inueniri. Quae ubi e diuersis fontibus haustae sunt (non raro enim id quoque factum est, ut Orio ex uno auctore plures originationes eiusdem uocabuli reciperet), diuersis etiam locis collocatae sunt. At uero etiam e contraria parte accidit, ut Orio, si in qua fonte notationem inueniret eius uocis, cuius iam aliunde aliam interpretationem in lexicon intulerat, illam non suo poneret loco, sed statim huic adiungeret. Vno igitur articulo diuersorum auctorum originationes comprehensas habemus. Velut in *Λ* p. 92, 6—24 Sorani partes sunt; in his leguntur *Λύπη· παρὰ τὸ λύειν εἰς δάκρυα τοὺς ὦπας, λυωπή τις οὖσα. ἢ διὰ τὸ λυμαίνεσθαι δι' αὐτῶν τοὺς ὦπας. οὕτω Σωρανός. ὁ δὲ Ἡρωδιανός φησι παρὰ τὸ λύω λύη καὶ λύπη.* Cum uero, si recte supra disputauimus, Soranus Herodianum quippe sese posteriorem non potuerit testem inducere, patet ab ipso Orione Herodiani de uocabulo *λύπη* sententiam Sorani antea iam in lexicon receptae assutam esse. Prorsus eadem ratio occurrit p. 68, 5. 84, 12. 91, 20. 97, 3. 100, 30. 123, 4. 141, 19. 147, 7. 25 (Eudaemon enim, orthographiae scriptor, aequalis Libanio rhetori ne potuit quidem a Philoxeno laudari) 151, 18. 166, 29. 31 (cl. 167, 5). 167, 18. 168, 6. 169, 21, ut minus certa exempla omittam.

Accedamus ad quartam caussam, quae sane quantam habeat uim hodie uix quisquam accurate definire possit, quandoquidem omnis nostra Orionii lexici notitia uno tantummodo codice et recentissimo et neglegenter scripto nititur. Etenim mutilum non uno nomine opusculum nobis traditum esse neque ea omnibus in partibus integritate aut constanter servato eo ordine,

quo ab ipso Orione compositum sit, non poterit negari. Pertractauit iam olim hanc quaestionem Ritschelius de Oro et Orione § 12. 13, cuius disputationis summam breuibus comprehendam. Primum id uerissime disputauit probauitque excerpta ex Orionis lexico et quae e cod. Darmstadino post Etym. Gud. p. 611—617 edita sunt, et Koësii illa e duobus codd. Parisinis descripta et Orionis editioni subiuncta p. 173—184, utraque ipso indice Orioni Thebano tributa nullius hac in re ponderis esse, cum partem earum quas exhibeant notationes ex ipso Orione sumptam teneant, ceteras ex Etym. Magn. aut Gud. receptas. Hac igitur ratione demonstrari nequit integrius ab excerptorum auctoribus Orionis lexicon usurpatum esse. Contra studuit Ritschel. euincere non esse opus quale nos habemus in breuiorem formam redactum eo nisus argumento, quod „grammaticorum testimoniis librorumque indicibus accuratissime consignatis oppletum ipso habitu illiusmodi dubitationes quasi sua sponte recusaret". „An quicquam", inquit, „breuiatoribus illis grammaticis magis curae fuit, quam ipsis testimoniis ocius resectis, nec numero sed ambitu deminuto singularum notationum in habile scilicet compendium bona lexica redigere?" Quid uero, si multo plura, quam hodie leguntur, olim extabant testimonia grammaticorum, nec raro, ubi nunc solum nomen auctoris habemus, ibi libri quoque, unde notatio sumpta esset, titulus appositus fuit? Atque huiusmodi exempla plura iam identidem supra attuli cum ordinem lexici probari etiam testimoniis ex aliis Etymologicis conquisitis dicerem. Eis, si quis plura desideret, nunc addo Or. 26, 16 u. *ἁδρός* cl. E. G. 10, 2 *Ἡρωδιανὸς ἐν τοῖς Ἐπιμερισμοῖς*. p. 26, 19 u. *ἀριθμός* cl. cod. Par. ad E. M. 143, 47 *οὕτως Ἡρωδιανός*. p. 29, 11 u. *ἀσπίς* cl. E. G. 85, 30 *οὕτω Φιλόξενος*. p. 82, 21 u. *καταπροίξεσθαι* cl. E. M. 495, 32, ubi eadem ad uerbum repetuntur cod. Par. addente *οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι Ἐπῳδῶν Ἀρχιλόχου*, et sic etiam E. G. 305, 8. p. 112, 7 *οὕτω Φιλόξενος* cll. E. G. 415, 18. exc. Koës. 188, 1. tres codd. ad E. M. 611, 4. An. Paris. IV, 187, 8 *οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*. p. 134, 14 u. *παιδνός* cl. cod. Par. ad E. M. 657, 56 *οὕτω Φίλων* i. e. *Φιλόξενος*. Cum uero Etymologicorum auctores minime omnia testimonia, quae apud Orionem inueniebant, receperint,

admodum probabile est multa praeter ea, quae ex illis licet reuocare, testimonia olim extitisse apud Orionem nunc amissa nec ullo modo recuperanda. Hoc unum addo exemplum nescio an omnium luculentissimum. Sorani testimonium apud Orionem fere triciens obuium in Etym. Gud. octo tantum notationibus subscriptum legitur. Atqui inter has numero perpaucas duabus, in quibus nunc apud Orionem intercidit; u. Or. 17, 13 cl. E. G. 81, 40 (cod. Par. ad E. M. 150, 22). Or. 101, 3 cl. E. G. 381, 37 (cod. Haun. ap. Gaisf. p. * 574). Semel praeterea reuocandum est in Or. 92, 6 ex E. M. 572, 43[12]). Attamen haec omnia non in eam disputo sententiam, quasi ipse putem compendium haberi Orionis lexicon a grammatico aliquo consilio et industria effectum. Immo acciderunt illa damna per solam librariorum incuriam uel inertiam eo usque grassatam, ut non modo amplae lacunae existerent (quarum nonnullas indicauit Ritschel. p. 24) notationesque hic illic ualde decurtarentur sed uel totae elaberentur. Id quod iterum in Sorani frustis optime intelligitur, cuius nonnullas notationes nunc amissas olim in lexico perscriptas fuisse ex apertis testimoniis aliorum Etymologicorum elucet. Vtique enim recte iudicauit Ritschel. p. 29 sq. omnem Sorani notitiam ab Et. Magn. et Gud. auctore ex Orione haustam esse. Quod si in his Sorani testimonium notationibus subscriptum est, quae apud Orionem non inueniuntur, illas certum est intercidisse. Huiusmodi tres uoces Ritschel. p. 30 attulit *κολαφίζω* E. G. 333, 38 (cl. cod. Haun. ad E. M. 525, 8). *κρόταφοι* E. M. 541, 23. *μέλη* E. M. 577, 8 ibique cod. Par. Zonar. 1347, quibus nunc quarta accedit *κόνδυλος* e pleniore Gaisfordi thesauro p. 528, 28, quo scilicet loco Gaisf. e nonnullorum codd. scriptura *ὤρανος* recte instaurauit Sorani nomen. Alia praeterea duo exempla elapsarum notationum suppeditat Ritschel. p. 25. 27. Neque desunt exempla, si ipsum lexicon perlustramus. Velut 23, 4 *οὕτως ὁ αὐτὸς Εὐδαίμων* nulla ante huius grammatici mentione facta. Vid. 158, 27. 95, 6, quo loco *ὁ αὐτός* laudatur, ita ut grammatici nomen proxime olim antecesserit oporteat. Quamquam ex his locis non integram notationem, sed testimonium solum in antecedentibus amissum esse iure colligere

12) V. Ritschel., de Oro p. 30.

possis. Sed redeamus, quo haec disputatio maxime spectat, ad ordinem lexici, quem dixi per temporum decursum nonnullis locis mutatum uideri. Nec vero satis est in hanc rem tale exemplum attulisse, quale habemus p. 168, 23 nulli non perspicuum, ubi uox ὦτα per errorem in finem litterae Ψ illata eam glossam, cui proprius hic locus erat, ita expulit, ut nihil nunc relicuum sit, nisi libri index, unde hausta fuerit[13]). Alia sunt eodem illo Sorano duce exempla anquirenda. Cui omnes notationes p. 161, 1—117, 17 deberi facile tibi persuadebis. Iam uero post explicatas uoces ὀσχεός, ὄρχις, οὖρον, ὀρτάλιχος, ὄνυξ necopinatae inferuntur οτρύνω, ὁ δεῖνα. Tum insecuntur ὀργυιά, ὀσφύς, ὀμφαλός κ. τ. λ. Luce clarius est illas duas notationes prorsus a Sorano alienas esse nec posse ab ipso Orione hoc loco positas fuisse. Simile quid deprehenditur in *K*, ubi hanc uocum seriem a p. 80, 17 sqq. habes: καρδία, κόλποι, κοτυλήῤῥυτον, κοχῶναι, κώπη, κείρειν. p. 100, 4 u. μάγειρος, 108, 9 νέφος per errorem Sorani partibus intermixta sunt; contra φακή 160, 1 immerito a Sorani frustis (159, 15—25) diuulsa, cum ipsa uerba καὶ ὁ ἰατρικὸς λόγος μαρτυρεῖ medicum auctorem testificentur.

Has habui perturbati saepenumero ordinis caussas, quas qui accuratius persequatur, intelleget non pauca exempla, quae primo obtutu ordini illi refragari uidentur, ipsa iam magis etiam eum confirmare.

At uero nunc cummaxime uerendum est, ne omni huic de Orioniis fontibus eorumque discriptione quam pertexui disputationi miserrima sit iam olim pernicies parata. Quid enim, si quos praecipuos auctores Orioni fuisse exposui, eorum libros ille ne usurpauit quidem suis ipse manibus, sed uberrima grammaticorum testimonia ex alterius cuiusdam grammatici scriptis collegit et quasi emendicauit? Videmus enim in Et. Magn. iis

13) Locus hic est: Ὦτα· Ἀπολλόδωρος μὲν ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι τὴν ὄσσαν φησίν. οὕτως ἐν τῷ ϛ̅ τῆς καθολικῆς προσῳδίας. Integra notatio uocis ὦτα extat p. 170, 3. Quae esset uera loci ratio, adeo non perspexit Larcherus, ut egregio errore captus hanc sententiam proponeret: „Particula μέν requirit particulam δέ, et glossam esse mutilam indicat. Auctor Et. M. 748, 6 citat Apollodorum nude. Hinc Heynius ad Apollod. fragm. hanc glossam retulit ad librum περὶ Ἐτυμολογιῶν. Sed referenda est ad librum sextum Prosodiae uniuersalis, cuius libri nemo alius meminit.“ Tacet Sturzius.

notationibus, quae uel iisdem uerbis conceptae apud Orionem inueniuntur, non solum huius nomen subscriptum esse, sed saepius etiam nomen Ὦρος adiectis adeo interdum uerbis ὁ *Μιλήσιος*. Fuit ille Orus magni nominis grammaticus, auctor multorum et nobilium librorum[14]). Quo uixerit tempore Ritschel. de Oro p. 11 ita definiuit, ut Phrynicho grammatico ferme aequalem, Herodiano supparem uixisse suspicaretur, „ut non uideretur aut non multum certe saeculum p. Ch. alterum eius aetas excessisse.“ Atque Larcherus quidem, qui data occasione istiusmodi Et. Magn. locos in notis ad Orionem identidem tractabat, pro scriptura Ὦρος nomen Ὠρίων reponendum suasit corruptelam e uicinitate nominum repetens; contra Ritschelius Ori testimonia acriter defendit atque e conuenientia notationum hic Orionis illic Ori nomine traditarum id euincere studuit magnam suarum copiarum partem habere Orionem cum Oro communem ex eiusque scriptis desumptam. Vid. de Oro p. 19 in. 29 in. 31 fin., ubi haec dicit: „Quas notationes (sunt uero istiusmodi) cunctas quem non piguerit euoluere et inuicem inter se conferre, is non dubito quin praecipuum Orioni, quem sequeretur, auctorem Orum fuisse concessurus sit lubentissime.“ et pag. seq. „quod de ipsis praeceptis grammaticis uocabulorumque notationibus ostendimus, id noli dubitare in coniuncta cum illis testimonia transferre.“ Haec sententia Ritschelii: quam si nos accipiamus, uides de summa totius nostrae disputationis iam actum esse. Namque si Ori scriptis praecipuo fonte Orio usus est, unde testimonia simul grammaticorum in opus suum congereret, quid obsecro iuuabat constantem quandam seriem excerptorum ex illorum libris sumptorum demonstrare uelle? Tum acquiescendum in eo erat, ut casu factum diceremus, si quando plura

---

14) Suid. haec: Ὦρος *Ἀλεξανδρεύς, γραμματικὸς παιδεύσας ἐν Κωνσταντίνου πόλει· ἔγραψε περὶ διχρόνων, ὅπως τὰ ἐθνικὰ λεκτέον, λύσεις προτάσεων τῶν Ἡρωδιανοῦ, πίνακα τῶν ἑαυτοῦ, περὶ ἐγκλιτικῶν μορίων, ὀρθογραφίαν κατὰ στοιχεῖον, περὶ τῆς ει διφθόγγου, ὀρθογραφίαν περὶ τῆς αι διφθόγγου, κατὰ Φρυνίχου κατὰ στοιχεῖον, ἀνθολόγιον περὶ γνωμῶν.* Prima uerba non ad Orum hunc, qui saepissime Milesius nominatur, sed ad alium quendam pertinere suo iure statuit Ritschelius p. 8—11, qui quae de aetate huius Ori disputauit, probabilitate carere uidentur Bernhardyo ad Suid. uol. II 1 p. 1285.

eiusdem grammatici testimonia sese exciperent. An existimas Orionem quascunque uocabulorum originationes et testimonia cum illis iuncta ex Ori scriptis conquisiuit diuisione facta ita disposuisse in lexico suo, ut uniuscuiusque grammatici fragmenta singulis in litteris uno essent loco consociata? Est hercle tale consilium ab hoc genere hominum longe longeque alienum. Sed quid faciendum? Est nobis in testimoniis Et. Magn., quibus Ritschelius usquequaque confisus est, accuratius examinandis iterum proficiscendum a Sorani reliquiis, quarum certissimum ordinem ita iam firmatum puto, ut nulla possit subnasci dubitatio. Ipse enim Ritschelius p. 29 uerissime monuit in omnibus eis frustulis, in quibus Sorani aliquae partes essent, nullum posse locum habere Ori nomen, quoniam Sorani memoria uni Orioni non simul Oro deberetur. Quod si in illius notationibus ab Etymologicorum auctore ex Orione receptis Ori testimonium comparet, restituatur oportet nomen Orionis. Ea uero medela pluribus eiusmodi locis adhibenda est, quam fecit Ritschelius, qui librariorum auctoritate fretus ea saepius Oro tribuit, quae re uera Orionis sunt sine Sorani ab Orione compilati: id quod nunc ex discriptione lexici Orionii manifestum est. Velut in littera Σ omnes notationes p. 143, 27—145, 32 Sorano tribues. In his haec leguntur:

Or. 145, 26.	Iam cf. E. M. 724, 16.
Σπλάγχνα· οἷον πέλαγχνα, διὰ τὸ πλησίον ἀλλήλων ὑπάρχειν, καὶ διὰ τὸ σπᾶν τὴν τροφήν.	*Σπλάγχνα· οἱονεὶ πέλαγχνα, διὰ τὸ πλησίον ἀλλήλων ὑπάρχειν καὶ ἐφάπτεσθαι, καὶ διὰ τὸ σπᾶν τὴν τροφήν. Ὦρος.*

Testimonio Ori, quod ab omnibus codd. uno errore traditur, accepto Ritschel. p. 66 hanc notationem ad Ori librum *περὶ παθῶν* retulit. Prorsus eadem ratio est notationis *ὄστλιγγες* ap. Or. 116, 29 cl. E. M. 636, 17, ubi testes inferuntur *Ὦρος καὶ ἄλλοι*[15]), scribendum uero est *Ὠρίων*, qui scilicet Sorani

15) Hoc testimonium non ita interpretari licet, ut Ritschel. p. 42 uoluit, „Ori esse priora, aliorum placita subnecti *ἢ* particula" (duae enim diuersae uocabuli *ὄστλιγγες* explicationes proponuntur). Namque utraque notatio coniuncta iam ap. Orion. legitur, qui ex uno Sorano

partes p. 116, 1 — 117, 17 uno tenore pertextas continet. Simile deinde exemplum est Or. 15, 22 cl. E. M. 31, 3, ubi nunc tandem apud Gaisford. recte legitur οὕτως Ὠρίων. Apud hunc enim Sorani notationes patent p. 15, 22 — 17, 23. Atque ex eodem Sorano deriuatio uocabuli ὑπήνη p. 155, 1 deprompta est una cum testimonio Philoxeni, quare in E. M. 780, 32 immerito pro Orione testis subscribitur Orus receptus is a Ritschelio p. 31. 49. 76 [16]). Vel ex his exemplis omnium firmissimis apparet, quam dubiae fidei sint Ori testimonia iis articulis E. M. subiecta, qui sint ex Orione hausti. Atque ut plane quid iudicem dicam:

> Omnibus eis E. M. notationibus, quae apud Orionem in continua serie frustorum, cuiuscumque grammatici illa sunt, inueniuntur, nullo pacto Ori testimonium conuenit, sed unius Orionis.

Summam enim uim et auctoritatem illa res in hac quaestione debet habere. Nemo profecto id explicare posset, quanam ratione omnino ille ordo unius grammatici et testimoniorum et notationum effectus sit, si quidem illa ex Ori scriptis undique collecta essent. Haec si probauero, iam necessario consequitur, ut de nonnullis exemplis moneam, non recte a Ritschelio p. 32. 76 tributam Oro esse notationem ξέστης E. M. 610, 54, ubi in fine: οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ Ῥωμαίων διαλέκτου. Ὧρος. Ad uerbum enim quadrat locus Or. 112, 11 eodem Philoxeni testimonio ornatus ibique quinque continuae notationes ξύλον, ξηρόν, ξυρόν, ξόανον, ξέστης Philoxeno dari debent. Idem cadit in E. M. 719, 29 cl. Or. 147, 6 (Ritschel. p. 63). Vtrobique nominantur Heraclides et Herodianus. Tria uero apud Orionem Heraclidis testimonia proxime antecedunt, insecuntur duo. Itaque non potest Orio illam notationem non ex ipsius Heraclidis libro sumpsisse. De Herodiano huc delato u. supra p. 27. Neque in E. M. 716, 14 u. ῥυθμός ullus potest

---

hausit. Immo οἱ ἄλλοι ei tantum possunt esse, qui Orionis lexicon iam ante Etymologi tempora compilauerant.

16) Verba οὐκ ἔδει δὲ ψιλοῦσθαι, quae ap. Orionem non leguntur, omissa etiam in uno cod. Paris. ab ipso etymologo agglutinata sunt.

locus Oro dari. Apud Orionem enim p. 140, 27 multo integriorem eandem originationem habemus haustam ex Herodiani Epimerismis, quorum excerpta cum in fine singularum litterarum congregata esse ostenderim, ipsos Epimerismorum libros Orio inspexerit necesse est. Neque Ritschelius Epimerismos in indicem librorum quibus Orus usus esset retulit, quamquam notationem illam inter Ori fragm. numerauit p. 31. 63. Adde E. M. 811, 14 cl. Or. 166, 26, qui hausit ex iisdem Epimerismis. Itaque non recte Ritschel. p. 66. Longum est plura huiusmodi exempla cumulare. — Sed quid iis Etymologicorum locis facies, ubi aperto testimonio subscribitur *Ὦρος ὁ Μιλήσιος* earum notationum auctor, quae et ipsae apud Orionem leguntur? Num his quoque locis Orionis nomen restituendum putas? Saepe profecto in hoc consilium animus inclinabat, saepe rursum deterrebatur; uerum enim uero quoquouersus circumspicienti in quibusdam certe exemplis nullum tibi refugium patebit modo lexici Orionii rationibus recte perspectis. Veluti longam frustorum Philoxeniorum seriem apud Orionem habes p. 152, 7 — 154, 14 excepto de quo monui supra Helladio Besantino, atque in illo numero notationem u. *τηλία*, quam Philoxeni testimonio non subornatam nulli tamen alii tribuendam esse et ipsa ars tractandique ratio clamat et ex E. M. 60, 25 fit manifestum. Iam conferantur: Or. 154, 7 *Τηλία· ἡ περιφέρεια τοῦ κοσκίνου. παρὰ τὸ σῶ, δηλοῦν τὸ σείω καὶ σήθω καὶ κινῶ. σῶ, σήθω, ἀφ' οὗ ὄνομα σηλία καὶ τηλία. τρέψαντες γὰρ οἱ Ἀττικοὶ τὸ σ̄ εἰς τ̄ τὸ σῶ τῶ λέγουσι. καὶ ἐν συνθέσει διάτω, καὶ πλεονασμῷ τοῦ τ̄ διάττω.* E. M. 757, 1 *Τηλία . . . . ὁ δὲ Ὦρος τηλίαν λέγει τὴν περιφέρειαν τοῦ κοσκίνου.* Eadem tum secuntur nulla fere facta uerborum mutatione. Zonaras p. 1727 *Τηλίας καὶ τηλία· Ὦρος ὁ Μιλήσιος τὴν περιφέρειαν τοῦ κοσκίνου λέγει. παρὰ τὸ σῶ, τὸ σείω καὶ κινῶ. σῶ, σήθω, ἀφ' οὗ ὄνομα σηλία καὶ τηλία, τροπῇ τοῦ σ̄ εἰς τ̄.* Vides, quid rei sit. Nimirum male Zonaras decurtauit notationem ex nullo alio desumptam nisi ipso Orione, cui per errorem Ori Milesii nomen indidit persuasitque Ritschelio p. 18. 31. 66. Magnae igitur dubitationi Zonarae hoc in genere fides diligentiaque obnoxiae sunt quamuis identidem a Ritschelio collaudatae. Idem statuendum est de loco Zonarae p. 1823 u. *φρόνιμος* ubi

legimus ὁ δὲ Μιλήσιος Ὦρος. E. M. 800, 48 ὁ δὲ Ὦρος cl. Or. 162, 2, qui locus et ipse ut omnia 160, 19 — 162, 10 exceptis iterum Besantino et Irenaeo debetur Philoxeno; id quod insuper diserto testimonio Or. 137, 5 probatur. Tum uid. Zonar. u. πυθμήν, ubi laudatur Ὦρος ὁ Μιλήσιος. E. M. 696, 31 οὕτως Ὦρος prorsus eadem tradente iterum Orione 123, 3 hausta ea, ni egregie fallor, ex Herodiani περὶ παθῶν libris. Zonar. u. ἐδνωτής testatur Ὦρος ὁ Μιλήσιος, quocum consentit cod. Par. 346 ad E. M. 316, 43, atqui E. M. l. all. exhibet οὕτω Ὠρίων, et re uera apud hunc p. 57, 2 eadem occurrunt, ut facile tibi persuadebis, ex Herodiano περὶ παθῶν sumpta. Iure suo iam Gaisfordius hoc loco ut saepius Orionis nomen reponendum suasit. Contra Ritschel. § 24 haec fragmenta similiaque permulta ad Ori librum quendam περὶ παθῶν uel ut librorum scripturam ab Ritschelio defensam retineam περὶ πάθους inscriptum retulit, cuius libri fidem paucis examinare iuuat. Atque una tantummodo notatione tituli illius memoria seruata est, quam cum grauissimum in hac quaestione momentum habeat adscribam: Zonar. p. 1668 Στερεός· τὸ στερρὸς τοῦ στερεὸς ἐστὶ συγκοπή. στερὸς καὶ πλεονασμῷ τοῦ $\overline{\rho}$ στεῤῥός. ἐμοὶ δὲ δοκεῖ μᾶλλον τὸ στερεὸς ἀπὸ τοῦ στεῤῥὸς εἶναι κατὰ πλεονασμὸν τοῦ $\overline{\varepsilon}$. τὰ γὰρ εἰς $\overline{ναι}$ ἀπαρέμφατα ποιεῖ εἰς $\overline{ρος}$ ὀνόματα ἰσοσύλλαβα οἷον μυῆναι μυαρός, διῆναι διερός, ῥυπῆναι ῥυπαρός, σταθῆναι σταθερός, στῆναι στερὸς, καὶ πλεονασμῷ τοῦ $\overline{\rho}$ στεῤῥὸς, καὶ τοῦ $\overline{\varepsilon}$ πάλιν στερεός. οὕτως Ὦρος ὁ Μιλήσιος περὶ πάθους. Eadem traduntur E. M. 726, 15 non addito auctoris testimonio. Vnus cod. Paris. 346, qui saepius cum Zonara concinit, et ipse exhibet οὕτως Ὦρος ὁ Μιλήσιος περὶ πάθους. Quibuscum iam conferendus est Orio 146, 6 Στεῤῥός· παρὰ τὸ στῆναι στεῤῥός. τὰ γὰρ εἰς $\overline{ναι}$ ἀπαρέμφατα ποιεῖ εἰς $\overline{ρος}$ ὀνόματα ἰσοσύλλαβα· οἷον μυῆναι μυαρός, σταθῆναι σταθερός. οὕτω καὶ στῆναι στερὸς, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ἑτέρου $\overline{\rho}$ στεῤῥός, καὶ πλεονασμῷ τοῦ $\overline{\varepsilon}$ στερεός. De his ego quidem ita statuo. Et Et. Magn. conditor et Zonaras quam originationem exhibent ex nullo nisi Orione receperunt, cuius articulum non modo nunc in initio decurtatum habemus, sed, quod grauius est, in fine περὶ παθῶν testimonio priuatum. Herodiani enim

nomen, quippe quem ex ipso libri indice sponte quisque intellegeret, tacuerat Orio, sicuti saepissime in Et. Magn. factum est, et uno saltem ipsius Orionis loco (p. 57, 34 οὕτως εὗρον ἐν τῷ περὶ παθῶν) deprehenditur. Atque re uera Herodianum esse auctorem, cuius e libris περὶ παθῶν excerpta Orio p. 146 congessit, egregie ex ordine lexici quem adumbraui confirmatur. — Sed longius hanc de Oro disputationem producere ipso proposito uetamur. Id maxime comprobare uolui iamque uideor probasse nullo modo Orionem grammaticorum testimonia ex Oro mutuari potuisse. Diuersa est quaestio eaque difficillima, num Orio omnino aliquem fructum ex Ori scriptis perceperit, an prorsus ea in lexico concinnando neglexerit: qua de re Ritschelii sententiam supra iam apposui. Quantopere enim cauendum sit, ne Ori testimonia in Etym. Magn. saepissime iis uocabulis subscripta, quae ex Orione hausta esse manifestum est, illico in rem nostram uertamus, exempla a me allata satis docent. Illa uero quaestio cum tractari non possit, quin diligentissima singulorum locorum et lexici Orionii et Et. Magn. disquisitio atque comparatio instituantur, nunc nobis praetermittenda est. Duas tantum easque grauissimas res attingere liceat, in quibus a Ritschelii sententia discedendum puto. Is enim p. 18 fin. haec: „Mitto alia quaedam explodendae Larcheri coniecturae idonea: restat enim grauissimum argumentum, quo omnis quaestio discernitur, petitum illud ex Etym. M. p. 719, 8, ubi his uerbis finitur de σκορακισμός uoce notatio: . οὕτως Ὦρος· ἀλλὰ καὶ Ὠρίων καὶ Ἡρωδιανὸς περὶ παθῶν. Ex quo certius etiam quam e reliquis exemplis ante tractatis hoc consequitur non paullum momenti in proxima habiturum: cum ipso Oro communem suorum partem Orionem habere atque eidem illi fortasse surripuisse". At uero nullo modo ex isto testimonio tale quid efficere licet, cum Orioni permagnam partem cum Herodiano potius communem esse ex ipsius testimoniis compertum habeamus, Ori uero ne uno quidem loco mentio facta sit. Itaque ex illo testimonio per se spectato maiore iure colligas Orionem suam uocabuli σκορακισμός notationem (p. 143, 21) hausisse ex Herodiano; attamen, ut uerum fateamur, ne ex hoc quidem illam esse sumptam, sed ex commentario aliquo nunc ex ordine quem descripsi lexici apparet. Alterum accedit, quod Ritschelii

sententiae non adeo fauere uideatur. Per enim mirum et explicatu difficile hoc uidetur, qui factum sit, ut Orio eius nomen, cui permulta deberet, taceret constanter. Cuius rei culpam non in ipsum Orionem, sed in librarios contulit Ritschelius p. 34. Cum enim in nominibus Ὦρος et Ὠρίων ipsa terminatio scribendi compendio significata saepissime obscurata sit, „quidni," inquit, „eodem compendio deceptum siue librarium siue castigatorem quendam grammaticum putemus, qui quidem Orionis esse notationem quamque satis indice uniuersi lexici semel significari ratus singulis uocibus inutiliter scilicet repetitum auctoris nomen recideret?" Speciosius profecto argumentum, neque tamen quod sufficere posse uideatur. An cum Ritschelio putabimus, ubique ab Orione solum Ori nomen subscriptum fuisse nunquam adiectis aut ὁ *Μιλήσιος* uerbis, sicut hodie quoque pluribus locis *Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός* legimus, aut libri unde quaeque notatio hausta esset significato indice? Saepissime testatur Philoxenum *ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*, aut *ἐν τῷ περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ*, Herodianum *ἐν τῇ ὀρθογραφίᾳ* aut *ἐν τῷ περὶ παθῶν* etc. Quidni idem in Ori testimoniis facturum fuisse Orionem censes? Illane uero omnia testimonia hodie ita exstincta esse, ut ne leuissimum quidem appareat uestigium?

Atque de Orionis lexico et fontibus hactenus. Qui restat locus, ut de fide Orionis quaeratur, eo differre placet, si quando in ipsa nostra disputatione suspicio quaedam de illa exorietur.

Praeter Orionem autem, cui primae certe partes dandae sunt, non minimum ad Philoxeni reliquias restituendas ualent maiora Etymologica, praecipue Etym. Magnum. Cuius singularis praestantia non modo in eo cernitur, quod multa fragmenta Philoxeni et emendatiora et integriora, quam in Orionis lexico illa traduntur, atque multa grammaticorum testimonia nunc apud Orionem recisa seruauit, sed magis etiam hac in re elucet, quod egregia quaedam nec pauca additamenta continet, quae neque apud Orionem neque alibi usquam quantum scio inueniuntur. Multis locis Philoxeni placita per Herodiani scripta in Etymologica propagata esse facile intellegitur. Vid. E. M. 754, 5. 522, 47 cl. E. G. 330, 49. E. G. 288, 13. Saepe de Philoxeno etiam ab Oro traditur, de quo hic nulla potest dubitatio esse. E. G. 32, 2 cl. E. M. 57, 6. E. G. 349, 2 cl. E. M. 540,

50. E. M. 47, 45. 463, 6, quibus locis accedit E. M. 84, 7 u. ἀμιχθαλόεσσαν, ubi Orus laudatur, prorsus uero is, ut ex loci natura apparet, a Philoxeno pendens. Egregia autem Et. Magn. additamenta dico copiosa librorum περὶ ῥηματικῶν et περὶ συγκριτικῶν fragmenta, quae quidem integerrime seruata ipsius Philoxeni fere non mutatis uerbis ab etymologo recepta esse uidentur. Neque in Philoxeni reliquiis instaurandis commentarii in poetas negligendi sunt, quo in numero praecipue laudanda sunt scholia in Iliadem (uide p. 7 not. 4) et Eustathii in Homerum παρεκβολαί.

CAPVT III.

De Philoxeni arte etymologica.

Studia etymologica nobilissimorum philosophorum olim nominibus commendata tum demum maxime efflorescere coeperunt, cum sermonis Graeci legibus accuratius perspectis uocabulorumque rationibus cognitis tota ars grammatica ampliora deinceps incrementa caperet. Namque grammatici Alexandrini cum summa industria in linguae usum inquirerent uocabulorumque et conformationes et in declinando immutationes ad analogiae leges reuocare studerent, non potuerunt illa praecepta simul in uocum originibus indagandis non summam habere auctoritatem. Atque in hac analogiae ui id maxime discrimen cernitur, quod inter huius aetatis studia etymologica et eorum, qui antea in hoc litterarum genere elaborauerant, praecipue Stoicorum licentiam intercedit. Namque ei cum ad dialecticam, cui summopere studebant, grammatica studia referrent, interiores maxime rerum uocabulorumque rationes spectabant et ad ea omnia quae de uocabulorum origine praecepta dabant direxerunt: qua in re non satis animum aduertebant ad eas linguae leges, quae in ipsis declinandis et conformandis uocabulis ualerent. cf. Steinthal gesch. d. sprachw. p. 323 sqq. Willmanns de Varronis libris gramm. p. 22 sqq. Primus autem grammaticorum, qui librum *περὶ ἐτυμολογιῶν* composuit, exstitit Apollodorus Atheniensis[1], Panaetii philosophi et Aristarchi grammatici discipulus, quem Varro de L. L. VI 2 p. 184 (cf. V 9 p. 20 de Aristophane) una cum Aristophane[2]) praeter Chrysippum et Antipatrum stoicos auctores

1) Fragmenta libri non admodum pauca coll. Chr. G. Heynius in Apollod. biblioth. ed. alt. p. 441—451.

2) Eum *περὶ ἐτυμολογιῶν* scripsisse non traditur. Probabile autem

sibi esse profitetur. „Omneis," inquit, „uerba ex uerbis ita declinari scribunt, ut uerba litteras alia adsumant, alia amittant, alia commutent". Quibus uerbis Varro quasi lineamenta quaedam eius disciplinae adumbrat, quam adiutricem artis etymologicae multi grauissimique grammaticae auctores excoluerunt. Nimirum cum grammatici multiplices et singularum litterarum et syllabarum quae in declinando fierent mutationes ex analogiae legibus explicari non posse intellegerent, ad πάθη siue affectiones quasdam, quas genuinae uocum formae passae essent, confugerunt. Peculiaribus scriptis hoc argumentum primi Didymus et Iuba persecuti sunt, qui in libris suis περὶ παρεφθορυίας λέξεως eas uoces tractauerunt, quae usu loquendi ita commutatae et deformatae essent, ut origo uix posset cognosci, ueluti uerba σκορακίζειν (ἐς κόρακας), βρύττειν (πυρέττειν) alia[3]. Diligentissime uero nouam doctrinam excoluerunt auxeruntque περὶ παθῶν scriptis Trypho grammaticus, Apollonius Dyscolus, denique inter omnes excellens Herodianus, cuius praecepta fere posteriores grammatici sequi solebant. At uero quamquam fatendum est παθῶν illorum in sermonis consuetudine maximam saepe esse uim nec posse eis neglectis multorum uocabulorum origines satis cognosci, tamen ipsa illa doctrina summae fraudi fuit et arti etymologicae et grammaticis, qui cum affectionum illarum non certos terminos constituerent, prout libido ferebat, adhibuerunt atque adeo primitiua et integerrima uocabula πεπονθότα iudicarunt. Ἀποροῦντες λέγομεν, ὅτι τροπὴν ἔπαθεν ἢ ἴδιον μετασχηματισμόν (Et. Gud. 4, 21), haec fere lex fuit in exercenda etymologia. Summi uero in hac περὶ παθῶν doctrina momenti fuerunt uariae sermonis Graeci dialecti, in quibus perscrutandis summam operam collocauerunt etymologi. Et quanta illarum in rebus etymologicis sit utilitas, nostris temporibus exploratum est; ueteres autem grammatici saepissime a recta uia deflectebant, cum quidquid inter dialectos uel ex paucis exemplis interesse uiderent, latissime patere rati ad alias et prorsus dissimiles uoces transtulerunt.

---

est in libro quem περὶ ἀναλογίας scripsit, eum praecepta ad etymologiam spectantia dedisse.

3) Vid. de Didymi et Iubae libris quae exposuit M. Schmidt. Philol. III, p. 342 sqq. et ad Didymi fragm. p. 15 sqq.

Hinc maxime ingentem *παθῶν* uim repetebant.[4]) Atque sic totius artis fundamenta euersa sunt. Quas enim nos etymologicae artis summa principia cognouimus, multarum linguarum naturali uinculo inter sese coniunctarum cognitione et accurata comparatione ueteres prorsus carebant. Certis legibus non adstricti neque certam uiam ingressi quasi per loca occulta ac tenebris inuoluta errabant.

Quae cum ita sint, eo maiore profecto laude ac pro temporum condicione admiratione is dignus habendus est, qui unus e grege grammaticorum artis etymologicae, nisi essent fundamenta quaedam iacta stabilia, imbecillitate perspecta id summo opere egit, ut certa principia totius artis constitueret: ipsum dico Philoxenum, summa sagacitate uirum et ueterum etymologorum haud scio an principem. Operum quae scripsit sine dubio omnium grauissimum fuit *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*, quod in indice librorum primum obtinens locum re uera id fuisse uidetur, unde grammaticus in etymologia factitanda atque emendanda initium faceret. Atque ab hoc nobis quoque proficiscendum est. Consilium et institutum libri si quaeritur, non audiendi sunt ii, qui simile argumentum ac Tryphonem in libro *περὶ τῆς ἐν μονοσυλλάβοις ἀναλογίας* tractasse etiam Philoxenum ex indice magis opinati sunt, quam e fragmentorum condicione cognouerunt[5]). Grandius enim aliquid hunc consectatum esse uel unumquodque fragmentum clamat. Primus quod sciam qui re ipsa diligenter examinata iudicium suum aperuit collaudandus est Eduardus Luebbertus, qui inter theses Commentatio-

---

4) Huius rei satis erit unum specimen attulisse. Schol. Iliad. cod. Reg. ap. Cram. An. Par. III 49, 28 *Τὸ δὲ ‘εἰλήλουθα’, ὅθεν καὶ τὸ ‘εἰλήλουθμεν’ κατὰ Ἡρακλείδην τέσσαρσι πεποίηται διαλέκτοις. Ἀτθίδι, Ἰάδι, Βοιωτίᾳ, Αἰολίδι. ἐλεύθω γάρ, οὗ μέσος παρακείμενος κοινὸς ἤλυθα, καὶ Ἀττικῶς ἐλήλυθα, κατὰ τὸ ἤρεικα ἐρήρικα, ἤγουν ἔσχισα, ἤλειφα, ἀλήλιφα. ἐπεὶ δὲ βεβοιώτισται τὸ προστιθέναι τῷ ῡ τὸ ō καὶ Ἰακὸν τῷ ε̄ τὸ ῑ, γίνεται οὕτως εἰλήλουθα, οὗ πληθυντικὸν εἰληλούθαμεν, καὶ Αἰολικῶς, Αἰολέων γὰρ αἱ συγκοπαί, εἰλήλουθμεν κ. τ. λ.*

5) Sic Stiehlius in commentatione ‘de Tryphone Alexandrino’, Philol. VI, p. 450. Arth. de Velsen, fragm. Tryphonis p. 22. Lerschio, cum integrum de ueterum grammaticorum arte etymologica librum conscriberet, Philoxeni liber omnino non uidetur innotuisse.

nibus suis pontificalibus Berolini CIƆICCCCLIX ed. adiectas hanc proposuit sententiam:

„Philoxenus grammaticus in libro *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων* (Etym. Magn. p. 521, 42) de Graeci sermonis origine, non spernendo profecto istis temporibus conamine, ita philosophatus est, ut omnes uerborum, quae per tempora declinantur, formas ex tot monosyllabis perispomenis ortas statueret, quot efficiuntur, si singulas Graeci sermonis consonas, ac ex iis quae componi possunt, binas cum ῶ circumflexa coniunxeris."

Quibus uerbis grauissimas Philoxeni rationes apposite Luebbertus ac sine dubio recte expressit. Hanc enim ubique summam etymologo legem fuisse uidemus, ut a monosyllabis uerbis proficisceretur, unde omne uerborum deriuatorum genus repeteret. Et ea certe uerba, quae per tempora declinarentur, omnia ad istas stirpes ab eo reuocata esse dubium non potest esse. Quaeritur tamen, num his finibus opus circumscriptum fuerit. Omnibus enim libri fragmentis perlustratis uidebis in multis ne dicam plurimis nominum quoque origines explicari, easque et ipsas a uerbis monosyllabis deduci, cuiusmodi exempla habes: *Δραπέτης* E. G. 152, 4. *ὑπόδρα* Or. 157, 6. *ὕπαρ* Or. 156, 25. *ἰάλεμος* E. M. 462, 56. *ὄπα* Or. 120, 11. *ἐμμαπέως* schol. Odyss. ξ 485. *τάφος* Or. 151, 35. E. G. 523, 21. *θάνατος* 442, 30. *τιθήνη* Or. 152, 32. *κναφεύς* E. M. 521, 40. *κήλη* Or. 84, 29. *κηώεις* Or. 85, 35. *ναρόν* Or. 110, 1. *ξηρόν* Or. 111, 14. *πίθηκος* cod. Par. ad E. M. 671, 47. *ἐρωή* Or. 59, 20. *σεμνός* Or. 147, 32. *Φάρος* Or. 160, 3. *πρόφρασσα* schol. Il. *K* 290. E. M. 691, 36. *χάρτης* Or. 165, 9. *ἀχρεῖον* schol. Il. B 269. *ζαχρειής* Or. 67, 1. *ψιάδες* Or. 166, 31. Quibus omnibus locis testis est Philoxenus *ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*, siue *ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων*, quo titulo non diuersum ab illo librum designari dudum constat. Atque illorum nominum originationes non obiter libro intermixtas fuisse, sed summa diligentia expositas facile qui accuratius illos locos consideret perspiciat. Hinc igitur consequitur a radicibus illis monosyllabis non modo uerba sed nomina etiam Philoxenum deducenda suscepisse. Quousque hoc propositum persecutus sit, utrum omnia nominum genera inde arcessiuerit, an solum in quibusdam explicandis uersatus sit, id diiudicari nunc non potest.

Hoc uero constare uidetur potiorem et priorem orationis partem eum non nomen iudicasse sed uerbum, quoniam in omnibus nominum notationibus constanter a uerbali aliqua stirpe proficiscitur[6]). Iamque nos summa Philoxeni placita breuibus sic possumus comprehendere: radices et nominum et uerborum esse *ῥήματα μονοσύλλαβα* (*πρωτότυπα*). Alterum accedit hoc, quod monosyllaba in coniugationibus uerborum perispomenorum disposuit earumque legibus adstrinxit: unde efficitur in uocali *ῶ* accentu circumflexo notata latere aliquam breuem uocalem uidelicet aut *ε̄* aut *ᾰ* aut *ο̄*, quae in declinandis uerbis conspicuae sunt: ut *θῶ θήσω*, *δρῶ δράσω*, *σῶ σώσω*. Neque enim hae stirpes e *θέω*, *δράω*, *σόω* per syncopen ortae existimandae sunt; immo his ipsis priores sunt et quasi earum genetrices; namque *τοῦ φῶ παράγωγον φάω* (Or. 160, 23). Quod autem ad ipsas uerborum monosyllaborum conformationes attinet, gignuntur illa primum quidem ex sola uocali *ῶ* accedente spiritu aut leni aut aspero. Existunt hoc modo stirpes *ὦ* et *ὧ* pluribus eae significationibus instructae[7]), unde et *εἰμί* et *ἵημι* uerba descendunt. Tum uero singulis graeci sermonis consonantibus praefixis totidem formantur uerba, quae, cum unaquaeque consonans in hanc rem adhibeatur, non opus est enumerare. Binis uero consonantibus compositis haec fere inueniuntur: *βλῶ βρῶ γρῶ δμῶ δρῶ θλῶ θνῶ κλῶ κμῶ κνῶ κρῶ κτῶ μνῶ πλῶ πνῶ πρῶ πτῶ σπῶ στῶ σχῶ τλῶ τμῶ τρῶ φλῶ φρῶ χλῶ χρῶ*: quorum multa insuper plures significationes habent prorsus

---

6) Per se patet huic sententiae minime aduersari eos locos, qualem habemus Or. 59, 14 *ἐρωτῶ παρὰ τὴν ἔρωτος γενικὴν κ. τ. λ.* Namque nomen *ἔρως* scilicet e uerbo *ἐρῶ* natum non est primitiuum.

7) Schol. Iliad. *B* 432: *τὸ ἔω σημαίνει ἑπτά. ἔω τὸ ὑπάρχω, ἐξ οὗ καὶ ἐΰς, ὁ ἀγαθός· ὁ γὰρ ἀγαθὸς ἑδραῖος. ἕω τὸ περιπατῶ, ἐξ οὗ καὶ ὁδός. ἕω τὸ ἐνδύομαι, ἐξ οὗ καὶ τὸ ἐπιειμένε. ἕω τὸ τελειῶ, ὡς τὸ ‘ἐξ ἔρον ἕντο’. ἕω τὸ καθέζομαι, ὡς τὸ ‘ἧσο παρ’ αὐτὸν ἰοῦσα’. ἕω τὸ εὐφραίνομαι, ἐξ οὗ καὶ ἥδω. ἕω τὸ κορεννύω, ἐξ οὗ καὶ τὸ ‘ἐπεί κ’ ἕωμεν πολέμοιο’*. Haec BL. Eadem ad uerbum repetita sunt Et. Gud. p. 286, 18. Memoriam Philoxeni hic latere mihi constat; num uero singula eodem modo ab eo definita sint, propter plures caussas dubium. Prorsus praetermissa est stirps *ὧ* siue *ἕω*, *τὸ ἵημι*, nec credibile est Philoxenum, optimum Homeri interpretem, loco allato nisum significationem *τελειῶ* proposuisse.

inter se diuersas. Fit etiam, ut trinae iungantur, ut in uerbis *σκλῶ στρῶ*. Horum vero uerborum si naturam et indolem spectamus, paullo difficilior oboritur quaestio nunc statim accuratius pertractanda. Quid enim si non pauca illorum uerborum, quibus Philoxenus omnes suas rationes superstruxit, ne ipsi quidem uidebantur esse primitiua, sed ex aliis iisque disyllabis per syncopen facta? Audiamus enim Orionem p. 157, 6 *ὑπόδρα· ῥῆμα ἐστὶ δέρκω, ὃ κατὰ συγκοπὴν γίνεται δρῶ, τὸ ὁρῶ.... οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*. p. 84, 9. *κλῆρος· κλῶ ἐστὶ ῥῆμα μονοσύλλαβον ἀπὸ τοῦ καλῶ συγκοπέν*. p. 88. 2 *κόχλος· παρὰ τὸ χαλῶ, καὶ συγκοπῇ χλῶ*. p. 147, 22 *σκληρός· παρὰ τὸ σκλῶ μονοσύλλαβον, ὅ ἐστιν ἀπὸ τοῦ σκέλλω*. p. 152, 7 *τάλας· παρὰ τὸ τάλλω, καὶ τλῶ κατὰ συγκοπήν*. His similibusque exemplis nonne summa principia, quae Philoxenum arti etymologicae constituisse diximus, misere pessumdantur? An potius Orioni his in rebus fidem denegemus? Quae caussa ut certius diiudicari possit, uidendum est, qua ratione Orio in Philoxeni libris usurpandis uersatus sit. Ac plurimis profecto locis nihil est, cur ei diffidamus. Videtur enim ea, quae placebant quaeque facili negotio intellegebat, socors excerpsisse nulla facta mutatione: id quod optime ex his locis inter se collatis perspicitur p. 154, 2 *Τάλαντον· τὸ ζυγόν. παρὰ τὸ ταίνω ῥῆμα, ὅπερ κατὰ ἀναδιπλασιασμὸν τιταίνω. ὡς φαίνω φαντός καὶ ἄφαντος καὶ χραίνω χραντὸς καὶ ἄχραντος. οὕτω τιταίνω ταντός κ. τ. λ.* In his quae Philoxenus analogiae probandae gratia interposuit exempla non dimittenda putauit Orio, sed in littera *Α* suo loco eodem uerborum ambitu seruato sic consignauit p. 24, 6 *ἄχραντος· ὡς παρὰ τὸ χραίνω χραντὸς καὶ ἄχραντος καὶ παρὰ τὸ φαίνω φαντὸς καὶ ἄφαντος*. Et multa sane egregiaque Philoxeni fragmenta una cum poetarum aut scriptorum testimoniis integerrime nobis reliquit, uelut notationes *βαμβαίνω* 36, 18. *ἐντροπαλιζόμενος* 62, 22. *κόσμος* 87, 1. *λαλῶ* 95, 12. *μαρμαρυγή* 104, 8. *ὀρρωδῶ* 121, 21. *σήθω* 149, 7. *τόξον* 153, 19. *χάρτης* 165, 9 alia permulta. Vbi uero Philoxeni praecepta pro ingenii modulo minus perspiciebat, illius uerba non raro peruertit ac de suo qualiacumque addidit. Ex. gr. hausit e Philoxeno p. 43, 9 *Γύαλον· κυρίως τὸ κοῖλον τῆς*

χειρὸς, παρὰ τὸ γύω, ἀφ' οὗ γύον καὶ γυῖον. τὸ δὲ γύω παράγωγον τοῦ γῶ, δηλοῦντος τὸ λαμβάνω. ἀφ' οὗ γῆ, ἡ πάντα λαμβάνουσα. γύον οὖν, καὶ πλεονασμῷ τοῦ αλ γύαλον. Omnia bene et Philoxeno conuenienter. Iam cf. p. 42, 5. *Γωρυτός· παρὰ τὸ γῶ, τὸ λαμβάνω, ὅπερ εἴρηται ἀπὸ τῆς γῆς τῆς τὰ πάντα λαμβανούσης καὶ χωρούσης. γωρυτὸς οὖν ὁ λαμβάνων καὶ δεχόμενος τὸ ῥυτόν κ. τ. λ.* Media uerba apparet Orionem non apud ipsum Philoxenum reperisse sed de suo interposuisse: hoc insuper Soranus docet, qui eundem Philoxeni locum istis omissis sic exhibet p. 39, 20 *Γυνή . . . . ὁ δὲ Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ φησιν, ὅτι γῶ ἐστὶ ῥῆμα, δηλοῦν τὸ δέχομαι καὶ λαμβάνω. ὅθεν καὶ γωρυτός κ. τ. λ.* Similis Orionis error deprehenditur p. 67, 1 *Ζαχρειής· χρῶ ἐστὶ ῥῆμα, τὸ πλησιάζω, παρὰ τὸν χρῶτα, οὗ παράγωγον χραύω . . . . οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων.* Longe illa ratio uerbi *χρῶ* a nomine *χρώς* deducendi a Philoxeno aliena. Neque recte Or. p. 136, 21 Philoxeni rationes reddidit sic: *Παφλάζων· παρὰ τὸ φλέω, ὅπερ καὶ φλύω λέγεται· μονοσυλλαβῆσαν φλῶ ἐγένετο, καὶ παράγωγον φλάζω κ. τ. λ.* Iam uero ut ad illa monosyllaba redeamus, quae Orio per syncopen e bisyllabis orta esse dicit, non immerito ad haec quoque uidemur eandem dubitationem transferre. Quae magis etiam augetur, ubi nonnullorum locorum condicionem spectemus. Velut p. 152, 21 *Τέρτρον· τρῶ τρᾷς ἐστὶ ῥῆμα, ὅπερ ἐστὶ κατὰ συγκοπὴν τοῦ τείρω. παρὰ δὲ τὸ τείρω τέρτρον, καὶ παρὰ τὸ φέρω φέρτρον.* In his permirum est, si quidem *τρῶ* non primitiuum esset, quod *τέρτρον* uocabulum non illico a *τείρω* deriuatur uerbo *τρῶ* omnino praetermisso. Nunc uero, cum expositio a uerbo *τρῶ* incipiat, prorsus necesse est inde ductum fuerit a Philoxeno uerbum *τείρω*. Vid. p. 152, 7 *Τάλας· παρὰ τὸ τάλλω, καὶ τλῶ κατὰ συγκοπήν*: ubi quid loco sic comparato uerbi *τλῶ* facta mentio sibi uelit haud dixeris. Sed altera accedit caussa cur non possit Orioni credi haec, quod ex certis exemplis compertum habemus saepius Philoxenum e uerbis monosyllabis incipientibus a binis consonantibus ita bisyllaba deriuasse, ut uocalem inter utramque consonantem interponeret. Ipse Orio p. 85, 11 *κολῳός· παρὰ τὸ κλῶ, ῥηματικὸν ὄνομα κλῳός καὶ πλεονασμῷ τοῦ ο κολῳός.*

Nonne simili modo Philoxenum uocali $\bar{\alpha}$ illata uerbum *καλῶ* e *κλῶ* formasse putabimus? Confirmat rem E. M. 442, 30 *Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων· ἔστι ῥῆμα θῶ, τὸ ἀποτίθεμαι· πλεονασμῷ τοῦ $\bar{\nu}$ θνῶ, πλεονασμῷ τοῦ $\bar{\alpha}$ θανῶ κ. τ. λ.* Eandem analogiam secutum Philoxenum etiam *χαλῶ* a *χλῶ*, *τάλλω* a *τλῶ*, *σκέλλω* a *σκλῶ* similiaque a similibus reuocasse non negabit qui quam ipse fuerit sibi constans intellexerit. Quin eo usque progressus est, ut proponeret stirpem *κμῶ*, unde deduceret uerbum *κάμω* et *κάμνω* (Or. u. *ἀκμή* 20, 12), cuius rei detrectatorem habuit Herodianum[8]. — Verbum *δέρκω* sine dubio ita a *δρῶ* formauit, ut mediam formam *δρέκω* poneret, unde *δέρκω* factum esset transpositione litterae *κ* (E. M. 256, 51 *δρέκω· καὶ καθ' ὑπέρθεσιν δέρκω*), quae transpositio etiam in uocabulis *δράκων* et *δορκάς* ab eadem stirpe repetitis (E. M. 286, 7. 284, 7) cernitur.

Postquam de indole et formis monosyllaborum exposuimus, nunc uidendum est, unde Philoxenus sua sibi monosyllaba comparauerit quibusque subsidiis instructus artem suam exercuerit. Primum hoc manifestum est multa eum uerba monosyllaba ex ipsa consuetudine in rem suam transtulisse, fortasse unius aut alterius uestigium aliquod in dialectis reperisse ueluti apud Dorienses quasdam uerbi *λῶ*, *τοῦ θέλω* formas. Accuratissime enim usum loquendi cognitum habebat ad eumque constanter rationes suas direxit, quode postea dicetur. Magnopere hoc uidetur studuisse, ut quae sibi sumpsit monosyllaba ea non prorsus commenticia esse doceret, sed probari posse ac stabiliri uel unius scriptoris auctoritate. Cuiusmodi praeclarum specimen extat ap. Or. 149, 7 *Σήθω· παρὰ τὸ σῶ, ὃ δηλοῖ τὸ σείειν ἐν τῷ κοσκίνῳ. ἀπὸ δὲ τούτου, τοῦ σήθειν, Ἡρόδοτος* [I, 200] *τὸ τρίτον πρόσωπον τῶν πληθυντικῶν λέγει σῶσιν, ἀντὶ τοῦ σήθουσιν. ὡς παρὰ τὸ κνῶ κνήθω, ἀλῶ ἀλήθω, πλῶ, ὅθεν τὸ πλῆμι καὶ διπλασιασμὸς πίμπλημι, καὶ παράγωγον τοῦ πλῶ πλήθω· οὕτω τοῦ σῶ σήθω.* Neque praetermittendum

8) Cf. E. G. 330, 1. E. M. 521, 28 *δεῖ γινώσκειν, ὅτι τὸ $\bar{\kappa}$ πρὸ τοῦ $\bar{\mu}$ οὐδέποτε εὑρίσκεται ἐν ἀρχῇ λέξεως· τοῦ γὰρ πολύκμητος οὐχ εὕρηται ἐν χρήσει τὸ ἁπλοῦν αὐτοῦ, ἤγουν τὸ κμητός· καὶ τὸ κέκμηκα, ὃ δηλοῖ τὸ κεκοπίακα, οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ κμῶ, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ κεκάμηκα.*

est hoc uno loco uideri in omnibus litterarum Graecarum monumentis, quae nobis quidem sint seruata, simplex illud uerbum inueniri. Ubi uero ab hac parte auxilio destitutum se uidebat Philoxenus quaesiuit monosyllaba analogiae uiam secutus, quam summa constantia si quis alius grammaticorum Alexandrinorum tenendam putauit. Qua uia quousque progressus sit haec habeto exempla: Or. 126, 25 *Ὕπαρ· ὦ ἐστὶ ῥῆμα, δηλοῦν τὸ ὑπάρχω. ἀφ' οὗ ῥηματικὸν ὄνομα αρ ὡς θένω θέναρ, ἔδω ἔδαρ καὶ εἶδαρ, καὶ μετὰ τῆς ὑπὸ προθέσεως, ὕπαρ.* p. 169, 21 *Ὠμόν .... ἢ ὡς Φιλόξενος τὸ ὠμὸν εἰρῆσθαί φησι τὸ ἐν ταυτότητι ὑπάρχον καὶ μὴ μεταβληθέν.* p. 170, 14 cl. E. M. 822, 20 *Ὦμος· παρὰ τὸ ὦ τὸ ὑπαρκτικόν· ὁ ὑπομένων τὰ βάρη ἰσχυρῶς.* Vides quam facile in hanc sententiam eum inducere potuerit fallax analogiae species uocabuli *βωμός*, siue quod ipse exemplum proposuit magis profecto ad probabilitatem accedens p. 102, 16 *Μῶμος· παρὰ τὸ μῶ, οὗ μέλλων μώσω. δηλοῖ δὲ τὸ ζητῶ. μῶμος οὖν ὁ ἀεὶ ἐπιζητῶν, καὶ μηδὲν τῶν ἄλλων ἱκανὸν εἶναι νομίζων, ἀλλ' ἐνδεῖν τοῦ κρείττονος, ἀεὶ πᾶν ὁτιοῦν λέγων καὶ διασύρων.* Vnum addo exemplum Or. 165, 9 *Χάρτης· παρὰ τὸ χῶ, οὗ μέλλων χήσω. ὥσπερ τὸ χῶ διαχέομαι παράγωγον ποιεῖ καὶ τὸ χαίρω· οὕτω καὶ τὸ χῶ ἐπὶ τοῦ χωρῶ παράγωγον ποιεῖ τὸ χαίρω οὐκ ἐπὶ τοῦ σημαινομένου τοῦ χαίρειν ἀλλ' ἐπὶ τοῦ χωρεῖν. παρὰ δὲ αὐτὸ τὸ χαίρω χάρτης χωρητικὴ οὖσα τῶν ἐγγραφομένων. Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων.*

Iam uero ut ex analogiae legibus a monosyllabis descendunt deriuata, eodem modo ex ipsis deriuatis certissima fit de stirpibus coniectura. Hae enim rationes mirum quantum per analogiae necessitatem inuicem sese tutantur. Si quidem ut exemplum afferam constat uerbum *φάσκω* enatum esse a radice *φῶ*, necessario hoc sequitur uerbi *χάσκω* primitiuum esse *χῶ*, *ἐπὶ τοῦ χωρῶ*, item *λάσκω* factum e *λῶ*, si *φαίνω* a *φῶ* et *βαίνω* a *βῶ*, tum etiam *χαίνω* a *χῶ*, *πταίνω* a *πτῶ*, si *φάζω* a *φῶ*, etiam *λάζω* a *λῶ*, *φλάζω* a *φλῶ* similia. Hoc igitur pacto cetera monosyllaba, quae ipse sermo non praebebat, Philoxeno analogiae uiam ingresso quasi sponte obuenerunt. Fatendum est autem saepissime factum esse, ut ista ratione in grauiores errores delaberetur et uerba formasque nobis proponeret nusquam gentium

inuenta. Apposite Lobeck. paralip. gr. gr. I p. 70 „Quas et ceteras huiusmodi notationes qui reuoluerit, ultro concedet graecorum uerborum pleraque perpaucis constare litteris primitiuis, sed ut omnium primordia demonstrentur fieri posse negabit, arguetque ueterum etymologorum temeritatem lineas, quas ultra progredi non licet, uiolento impetu transilientium.“ Atque idem de multis Philoxeni monosyllabis iudicandum est: quo in numero cum alia sunt, tum uerbum *φρῶ*, quam praesentis temporis formam falsam secutus analogiam primus finxit Philoxenus, omnes deinceps grammatici eodem capti errore adoptauerunt[9].

Ut iam ad deriuata uerba transeamus, horum triplex est genus. Primum enim uocalis *ῶ*, quae omnibus monosyllabis communis est, ampliores quasdam terminationes procreat uelut *αίω* (*πῶ παίω, κλῶ κλαίω, μῶ μαίω, πτῶ πταίω*) *αίνω* (*φῶ φαίνω, χῶ χαίνω, βῶ βαίνω, πτῶ πταίνω*) *άπτω* (*βῶ βάπτω, θῶ θάπτω, κνῶ κνάπτω*) *ίζω* (*κνῶ κνίζω, σχῶ σχίζω, τρῶ τρίζω*) *άζω* (*γῶ γάζω, λῶ λάζω, φῶ φάζω*) *ύω* (*γῶ γύω, κλῶ κλύω, χῶ χύω*) *αύω* (*χρῶ χραύω, ψῶ ψαύω, φῶ φαύω καὶ φαύσκω*) *εύω* (*στῶ στεύω, νῶ νεύω*)[10]. Sed longum est cetera eodem modo persequi. Alterum genus uerborum est in terminationem *μι* exeuntium[11], quae uerba ut omnes grammatici ueteres Philoxenus ex iis, quae uocali *ω* desinunt, deriuauit, ut e *βῶ βῆμι*, e *πλῶ πλῆμι*,

9) Docte de hoc uerbo disseruit A. Nauckius Mélanges Gréco-Romains tirés du Bulletin de l'Académie Impériale des sciences de St. Pétersburg Tome II livraison 5. St. Pétersburg 1864 p. 519 sqq., qui p. 520 haec dicit: „Das ganze Simplex beruht, so weit das uns vorliegende Material ein Urtheil gestattet, lediglich auf der Angabe einiger Grammatiker. Dahin gehören namentlich Philoxenus und Herodian. cf. schol. Eur. Phoen. 264 *καὶ Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων, ὅτι διαλαμβάνει περὶ τοῦ φρῶ, ταύτην τὴν χρῆσίν φησιν*“. Et mox: „Vielmehr ist *φρέω* oder wie Alexandriner und Byzantiner einstimmig lehren *φρῶ* nichts als eine thörichte Erfindung der Grammatiker, vielleicht des oben genannten Philoxenus, der wenigstens gegenwärtig als ältester Gewährsmann für *φρῶ* erscheint.“ Certissimum id quidem neque in coniectura tantum positum.

10) Vide quae de multiplici horum uerborum paragogorum genere suis locis disputauit Lobeckius in Verbor. Graecorum et nominum uerbalium technologia.

11) Lobeck. ibid. p. 189 sqq.

ceteraque huius modi plerumque duplicatis syllabis in initio adaucta. Horum uerborum rationes in libro *περὶ τῶν εἰς μι ληγόντων* exposuit, cuius tamen accuratior notitia non ad nos peruenit[12]. Summa uero diligentia tertium genus uerborum deriuatorum tractauit Philoxenus eorum, quae fiunt per *ἀναδιπλασιασμόν*[13]. Atque haec formantur cum ex ipsis monosyllabis, ut *λαλῶ* ex *λῶ* (Or. 95, 12), *μαιμῶ* ex *μῶ* (ibid. 97, 14), tum ex eo uerborum genere, quod primo deriuatorum loco posui, uelut *λῶ λαίω λιλαίω*, *φῶ φαύσκω πιφαύσκω*, *τρῶ τρώσκω τιτρώσκω* cet. Latissime autem anadiplasiasmi usus ut paullo ante dixi in iis uerbis patet, quae simul in terminationem *μι* exeunt. cf. Or. 149, 11 *πλῶ, ὅθεν τὸ πλῆμι, καὶ διπλασιασμὸς πίμπλημι*. eodem modo e stirpe *πρῶ* procrescit *πίμπρημι*, e *θῶ τίθημι*, e *δῶ δίδωμι* etc. Huc etiam spectant uerba *ἵημι, ἵστημι*; namque *ἐὰν ἄρχηται ἀπὸ τοῦ στ τὸ ῥῆμα ἢ ἀπὸ φωνήεντος, διὰ τοῦ ι μόνου γίνεται ὁ ἀναδιπλασιασμός* (E. M. 477, 44). Vocales, quae syllabae duplicatae attributae sunt, ut iam ex allatis exemplis apparet, plures inueniuntur. *οὐ γὰρ μόνον διὰ τοῦ ι γίνονται οἱ ἀναδιπλασιασμοὶ, ἀλλὰ καὶ διὰ τοῦ ε*: huius praecepti E. M. 500, 39 dati Herodianus profertur auctor, eandem uero fuisse Philoxeni sententiam res ipsa satis demonstrat[14]. Sed hunc locum nunc mitto quippe copiosius explanatum a Lobeckio, Pathol. I, p. 151 sqq..

---

12) Vnum fragmentum seruatum habemus in schol. Iliad. Ω 665, ubi Herodianus: *δαινῦτο: προπερισπαστέον, ὡς καὶ Φιλοξένῳ δοκεῖ, ἵνα ᾖ ἐκ τοῦ δαινύατο τοῦ ἑνικοῦ συναλοιφή, ὡς πυθοίατο . . . . . οὐδὲν δὲ θαυμαστὸν εἰ πληθυντικόν ἐστι τὸ δαινῦτο καὶ τὸ λαὸς ἑνικόν. τῷ γὰρ σημαινομένῳ ἡ σύνταξις ἐγένετο, ὁμοίως τῷ „ἀγρόμενοι πᾶς δῆμος“* (Τ 166). *Φιλοξένῳ δὲ ἀρέσκει ἐν τοῖς εἰς μι λήγουσι καὶ ἑνικὸν αὐτὸ εὐκτικὸν εἶναι ἀκολούθως κεκλιμένον.*

13) Lobeck., Pathol. graec. serm. elem. I, p. 151 sqq.

14) Herodianus E. M. 500, 31 haec: *κέκλετο· παρεκελεύσατο· ἀπὸ τοῦ κέλετο, πλεονασμῷ τοῦ κ· καὶ ἐκέκλετο, ἀντὶ τοῦ ἐκέλευεν· ἀπὸ τοῦ κέλω ἐκέλετο, καὶ ἐκέκλετο. ἢ ἀπὸ τοῦ κλῶ κλήσω . . . . . ἔστι γὰρ κλῶ, καὶ κατὰ ἀναδιπλασιασμὸν κέκλω.* Haec altera ratio nullius est, nisi ipsius Philoxeni. cf. E. M. 754, 3 *Τέτλαμεν· τοῦτο δύναται εἶναι καὶ συγκοπῇ καὶ κινήσει. βεβήκαμεν, βέβαμεν· τετλήκαμεν, τέτλαμεν. Ἀξιοῖ Φιλόξενος εἶναί τι καὶ τέτλημι ῥῆμα. περὶ παθῶν.*

qui, ubi grammaticorum de duplicatis syllabis praecepta tractauit, plerumque ipsius Philoxeni quamuis non nominati artem adumbrauit. Grauius est hoc, quod Philoxenum quanta anadiplasiasmi uis in nominibus simul confirmandis fuisset minime fugit. Non tam ea nomina dico, qualia ipse explicauit ap. Or. 104, 8 scilicet *μαρμαρυγή* et *ὀλολυγή* ad uerba *μαρμαρύζω* et *ὀλολύζω* reuocata quam illa, quae ex ipsis nominibus syllaba duplicata nascuntur. Huc pertinet ex. gr. uocabulum *ὀπωπή*, de quo Philoxeno auctore Orio 120, 16 haec: *ὄπτω, καὶ ἐξ αὐτοῦ ὄνομα ῥηματικὸν ὀπὴ καὶ διπλασιασμὸς ὀπωπή.* huic prorsus similia sunt *ἐδωδή* (Or. 60, 25), *ἀγωγή*, *ὀδωδή*. cf. Herodian. in E. M. 596, 37. Lobeck. Pathol. I, 163 sqq. Praeter haec summopere Philoxeno adamatum atque huic uni ut uidetur inter grammaticos proprium genus quoddam est anadiplasiasmi, quod in uocabulis fit interposita syllaba *$\overline{αλ}$*. Omnia huiusmodi exempla eidem auctori tribuenda censeo. Nonnulla exempla litteris consignabo. Or. 62, 15 *εἰδαλίμας παρὰ τὸ εἶδος εἴδιμος, ὡς πεύκη πεύκιμος, κῦδος κύδιμος, καὶ πλεονασμῷ τοῦ $\overline{αλ}$ πευκάλιμος καὶ κυδάλιμος, οὕτως εἶδος εἴδιμος εἰδάλιμος. οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ.* E. M. 462, 56 *Ἰάλεμος· . . . ἔστιν ἵημι, τὸ πέμπω. ἐκ τούτου γίνεται ἵηος· εἶτα ἰήεμος διὰ τοῦ $\overline{ε}$ κατὰ τὴν παραλήγουσαν· τροπῇ τοῦ $\overline{η}$ εἰς $\overline{α}$ καὶ πλεονασμῷ τοῦ $\overline{λ}$, ἰάλεμος, ἐπὶ τοῦ θρήνου. ἢ ἐκ τοῦ ἵηος, κατὰ τροπὴν τοῦ $\overline{η}$ εἰς $\overline{ε}$, γίνεται ἵεμος, καὶ πλεονασμῷ τῆς $\overline{αλ}$ συλλαβῆς, ἰάλεμος· καὶ ἰαλεμῆσαι, τὸ θρηνῆσαι, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ·*

Εἰδυῖα φάλιον ταῦρον ἰηλεμίσαι

οὕτως Φιλόξενος περὶ Μονοσυλλάβων, ὥς φησιν Ὦρος[15]).

---

15) Hoc uno loco Philoxenus hunc pleonasmum adhibuisse deprehenditur in libro *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων*. Data opera autem eum persecutus est in libro *περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ*. cf. praeter illa exempla E. G. 24, 34 *Ἄκαλος*, ubi est in fine *οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ διπλασιασμῶν* (scrib. *περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ*), ibid. 31, 54 *Ἀλακάτη*. Or. 63, 1 *Ἐναλίγκιος*. Prorsus non perspexit rem Osannus, qui An. Rom. p. 312 haec dicit: ‘Memoratu dignum uidetur Philoxenum, quum uocem *ἀλακάτη* ab *ἀκτή* deriuet, cui inserta sit uocalis *$\overline{α}$*, in tractando *ἀναδιπλασιασμῷ* a uulgari huius figurae potestate nonnihil recessisse; etenim illud genus, quo uox una uocali inserta augeretur, epectasis a grammaticis proprie appellata est.“

Neque tamen in nominum tantum terminationibus genus hoc adhibetur, sed inuenitur uel in ipsa fronte et nominum et uerborum: isque mirus profecto fuit Philoxeni error. cf. Or. 154, 2 *Τάλαντον*, quod natum dicitur e *ταντὸν καὶ πλεονασμῷ τοῦ αλ*. E. G. 21, 54 *ἀλακάτη καὶ ἠλακάτη· ἀπὸ τοῦ ἄγω, ἄξω, ἀκτός· εἴρηται καὶ ἀκτή, κατὰ πλεονασμὸν ἐν μέσῳ τοῦ α ἀκάτη, καὶ ἐπεισελθόντος πάλιν τοῦ αλ μορίου, ὡς ἐπὶ ἄλλων πλείστων εἴρηται ἀλακάτη κ. τ. λ.* Or. 149, 25 *σταλαγμός· στῶ ἐστὶ ῥῆμα, οὗ παράγωγον στάσσω, οὗ μέλλων στάξω, καὶ ἐπεισελθόντος τοῦ αλ σταλαγμός. τὸ δὲ στάσσω καὶ αὐτὸ προσλαβὸν τὸ αλ ἐποίησε τὸ σταλάσσω.* Sed satis exemplorum. Simillimum huic alterum est genus et ipsum in syllaba extrinsecus in uocabula illata positum. Nimirum nonnullorum uocabulorum a syllaba *μα* incipientium hanc rationem esse existimabat Philoxenus, ut syllaba *μα* tamquam aduenticia in capite nominum prorsus ab ipsa stirpe secernenda esset. cf. Or. 104, 19 *μασῶμαι· παρὰ τὸ σῶ, ὃ δηλοῖ τὸ σείω καὶ κινῶ, ἀφ᾽ οὗ τὸ σήθω, καὶ προσλαβὸν τὴν μα συλλαβὴν ἐποίησε τὸ μασσῶμαι, τὸ εἰς λεπτὰ τὴν τροφὴν κερματίζειν καὶ κατακόπτειν. οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ.* Ibidem p. 104, 15 *Μασχάλη· σχῶ σχήσω σχήλη, ὡς στήσω στήλη, καὶ μεταθέσει τοῦ η εἰς α σχάλη, καὶ κατ᾽ ἀναδιπλασιασμὸν τῆς μα συλλαβῆς μασχάλη.* Idem habes in uocabulo *μάχλος*, p. 104, 24. Omnino uidetur Philoxenus omnia ea *πάθη*, quibus uocabulorum capita augescunt, in *ἀναδιπλασιασμοῦ* numero duxisse; cuius rei duo exempla apponam. Or. 122, 29 *Ὄχλος· χλῶ ἐστὶ ῥῆμα ... ἀπὸ τοῦ χλῶ παράγωγον χλάζω· καὶ ἀναδιπλασιασμὸς καχλάζω, οὗ παρατατικὸς ἐκάχλαζον. τὸ οὖν χλῶ ῥῆμα ὄνομα ῥηματικὸν ποιεῖ, ἐπεκτάσει τῇ διὰ τοῦ ο αὔξησιν λαβὸν, ἀπέφηνεν ὄνομα ὄχλος, τὸ πληθύος σύστημα. οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ.* 119, 12 *ὅτλος, παρὰ τὸ τλῶ, τὸ κακοπαθῶ, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ο.* Quin etiam unius consonantis pleonasmum habemus Or. 100, 24 *μάγειρος· . . . Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ, πλεονασμὸν λέγει τὸ μ. παρὰ τὸ ἀγείρειν, τὸ ἀθροίζειν, ἤτοι ἐξ ὧν ἀρτύει, ἢ ὧν παρασκευάζει ὄψων*[16]).

Restat, ut paucis exponam, quid e dialectorum studio Phi-

16) Illustrauit hoc *πάθος* M. Schmidtius Philol. VI, p. 664.

loxenus profecerit. Duorum librorum, quos ex hoc genere accuratius nouimus, scilicet de dialecto Romanorum et de Ionica compositorum illum quidem nunc liceat praetermittere quippe cum nostro proposito non ita arte coniunctum. Summi uero momenti Ionum fuit dialectus. De hac quoniam Schmidtius Philol. VI, 660 sq. doctissime iam disseruit multaque occupauit, nunc unum locum accuratius tractare uolo. Vt ceteri huius aetatis etymologi sic Philoxenus summam diligentiam in perquirendis dialectis hanc unam ob caussam collocauit, ut cognitis quae inter uarias dialectos intercederent rationibus de origine quorundam uocabulorum certior fieret. Vt iam exemplo utar eorum uocabulorum notationes, quae pro $\bar{\alpha}$ primitiua genuinaque $\bar{o}$ *μικρόν* uidebantur habere, maxime in hoc de Ionica dialecto opere proposuit. Sine dubio proficiscebatur a talibus exemplis, quale legimus apud Or. 121, 21 *Ὀρρωδῶ· τὸ φοβοῦμαι. ῥῶ ἐστὶ ῥῆμα, ἀφ' οὗ τὸ ἔῤῥωμαι, παράγωγον ῥώζω, καὶ μεταθέσει τοῦ* $\bar{\zeta}$ *εἰς* $\bar{\delta}$ *ῥωδῶ, ὡς μύζω μυδῶ, χάζω χαδῶ· ἔνθεν τὸ κεχανδότα* (Il. Ψ 268), *πλεονασμῷ τοῦ* $\bar{\nu}$. *ῥώζω οὖν ῥωδῶ, καὶ μετὰ τῆς* $\bar{\alpha}$ *στερήσεως, ἀῤῥωδῶ, καὶ μεταθέσει τοῦ* $\bar{\alpha}$ *εἰς* $\bar{o}$ *ἀῤῥωδῶ, τὸ μὴ ἐῤῥῶσθαι τὴν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ φόβου. Καὶ Ἡρόδοτος ἀῤῥωδῶ λέγει ἐν τῇ πρώτῃ* (cap. 9) "*ἀπεμάχετο ἀῤῥωδέων*". *οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ Ἰάδος διαλέκτου.* Integriorem igitur formam, quae non esset mutatione uocalium affecta, Ionica dialectus ei uidebatur retinuisse; ab hac ad explanandam uocabuli originem initium sibi faciendum existimauit. Iam cf. Or. 153, 19 *Τόξον· τάζω ἐστὶ ῥῆμα, ἀφ' οὗ ἔταγον δεύτερον ἀόριστος κ. τ. λ. παρὰ τὸ τάξω οὖν, καὶ τάξω μέλλων τάξον ἐστὶ, καὶ τόξον τροπῇ τοῦ* $\bar{\alpha}$ *εἰς* $\bar{o}$. *Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ Ἰάδος διαλέκτου.* p. 87, 1 *κόσμος· τροπῇ τοῦ* $\bar{\alpha}$ *εἰς* $\bar{o}$, *παρὰ τὸ κάζω ῥῆμα· ὅθεν κέκασμαι, κέκασται, κεκασμένος· ὄνομα ῥηματικὸν κασμὸς καὶ μεταθέσει τοῦ* $\bar{\alpha}$ *εἰς* $\bar{o}$, *καὶ ἐναλλαγῇ τοῦ τόνου κόσμος. ἐπὶ δὲ τοῦ παντὸς εἴρηται· ὁ ἐν αὐτῷ πάντα ἔχων κεκοσμημένα. οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ Ἰάδος διαλέκτου.* Eodem modo sibi expediuit uocabula *ὀτρηρός* (Or. 121, 9) *ὀχθήσας* (ib. 121, 4) *ὄρχαμος* (121, 9) alia.

Haec fere sunt Philoxeniae artis lineamenta ac fundamenta. Quanta subtilitate in singulis uersatus sit, uel ex iis exemplis

quae attuli intellegere possis. Omnibus enim neruis hoc praecipue contendebat, ne quas uocabulorum originationes proponeret eae cum ipso usu atque hominum Graecorum consuetudine pugnare uiderentur. Haec igitur fuit summa lex, ut doceret, quaenam ipsius significationis necessitudo intercederet inter primitiuas uoces et paragogas. Atque egregia profecto hac interpretandi arte inter omnes etymologos longe primum obtinet locum. Huius rei pauca addo exempla. Or. 71, 20. E. G. 255, 10. E. M. 443, 1 *θάπτω· παρὰ τὸ θῶ ῥῆμα καὶ τιθῶ, ὡς βῶ βάπτω, οὕτω καὶ θῶ θάπτω. ἀΐδιον γὰρ ἔχουσιν ἀπόθεσιν οἱ θαπτόμενοι.* schol. V Iliad. *Ψ* 83 *Λάκωνες τὸ θάπτειν τιθήμεναί φασιν* cl. Lobeck. technol. p. 45. E. M. 442, 30 *θάνατος· . . . Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ Μονοσυλλάβων· ἔστι ῥῆμα θῶ, τὸ ἀποτίθεμαι, πλεονασμῷ τοῦ ν̄ θνῶ, καὶ θνῶν ἡ μετοχὴ ἀκολούθως· πλεονασμῷ τοῦ ᾱ, θανῶ, ὁ μέλλων θανήσω· ῥηματικὸν ὄνομα θανητός· μετὰ συστολῆς τοῦ η̄ εἰς ᾱ ἀνεδόθη ὁ τόνος, καὶ ἐγένετο θάνατος, ὁ τὴν αἰωνίαν δηλῶν ἀπόθεσιν.* Or. 36, 18 *Βαμβαίνω· παρὰ τὸ βαίνω· οἱ γὰρ κατάσχετοι ὑπὸ φόβου οὐχ οἷοί τε εἶναι ἑδραῖοι ταῖς βάσεσιν ἀμφοτέραις, ὡς ὑπὸ Ὁμήρου παραδέδοται·*

ἀλλὰ μετοκλάζει, καὶ ἐπ' ἀμφοτέρους πόδας ἵζει (Il. *N* 281)

ἀπὸ μεταφορᾶς οὖν τῶν ποδῶν εἴρηται ἐπὶ τῶν ἑδραίαν τὴν φωνὴν ἔχειν μὴ δυναμένων. βαίνω, βαβαίνω, καὶ βαμβαίνω. οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ ἀναδιπλασιασμοῦ. Ad haec Lobeck. Pathol. I, p. 175 not. 40: „Philoxenum Homeri locus *ἔστη βαμβαίνων, ἄραβος δὲ διὰ στόμα γίγνετ' ὀδόντων* permouisse uidetur, ut *βαμβαίνειν* proprie de tremore pedum dici statueret, quia cum standi uerbo coniunctum est“. Vix hoc credibile uidetur. Immo et multo simplicior caussa suppetit et Philoxeni rationibus magis conueniens. Nimirum cum uerbum simplex *βαίνω* de pedum motu dici constaret, non potuit propria uerbi paragogi significatio ab illo decedere. Or. 141, 17 *Στεῦται· . . . Φιλόξενός φησιν, ὡς παρὰ τὸ ἀθλῶ ἀθλεύω, οὕτω καὶ τὸ στῶ στεύω στεύεται, ἐπὶ τοῦ ὡρισμένου τῇ ψυχῇ καὶ στάσιν λαμβάνοντος καὶ ὑποθεμένου τι περὶ οὗ διϊσχυρίζεται εἰπεῖν.*

Iam uero speciminis loco unam saltem stirpem quaeque paragoga inde descendant perlustremus. Proposuit Philoxenus monosyllabum λῶ pluribus id ut permulta primitiua significationibus praeditum. In E. M. 559, 36 quattuor enumerantur haec: λῶ, τὸ λαλῶ· λῶ, τὸ ἀπολαύω· λῶ, τὸ βλέπω· λῶ, τὸ ἐπιθυμῶ. Haec ualde cauendum est, ne statim qualia traduntur ad Philoxenum referamus. Namque ex Or. 95, 12 elucet haudquaquam eum radicem λῶ significatione τοῦ λαλῶ instructam posuisse. Neque minus suspicioni subiecta sunt quae de tribus notionibus praecipit E. G. 369, 19, quocum consentit cod. Haun. 1971 descriptus a Blochio ad E. M. 564, 24. Sunt illae τὸ θέλω, τὸ ἐπιθυμῶ, τὸ βλέπω: quae quanti sint pretii manifestum est. Contra probabile est tres tantum significationes huic stirpi Philoxenum dedisse: τὸ βλέπω, τὸ θέλω, τὸ ἀπολαύω, nisi adeo has duas τοῦ θέλειν et τοῦ ἀπολαύειν utique inter se cognatas in unam iunxit.

Λῶ, τὸ βλέπω.

Philoxeno reddenda est notatio Or. 21, 16 Ἀλαός, ὁ τυφλὸς κατὰ στέρησιν τοῦ λάειν ἢ βλέπειν. παρ' Ὁμήρῳ· „λάε νεβρὸν ἀπάγχων" (Od. τ 230).

Λῶ, τὸ θέλω.

Or. 95, 12 Λαλῶ· λῶ, ἀναδιπλασιασμὸς λαλῶ παράγωγον τοῦ λῶ λάσω καὶ λάσκω „τοιαῦτα λάσκεις τοὺς ἀναγκαίους φίλους [Eurip. Androm. 671]. τὸ δὲ λῶ δηλοῖ τὸ θέλω, ὃ δὲ θέλει τις, καὶ φθέγγεται. προϋπάρχει δὲ τοῦ λόγου ἡ ψυχικὴ διάθεσις. οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἰάδος διαλέκτου.

Or. 95, 18 Λάλλαι· αἱ ψῆφοι αἱ παραθαλάσσιαι. λαλῶ ἐστὶ ῥῆμα, οὗ ὄνομα ῥηματικὸν λαλὴ καὶ πλεονασμῷ τοῦ λ λάλλαι. λάλλαι δὲ αἱ ψῆφοι αἱ ὑπὸ τῶν κυμάτων κινούμεναι, αἳ ψόφον τινὰ ἀποτελοῦσιν. οὕτως ὁ αὐτὸς ἐν τῷ αὐτῷ βιβλίῳ.

A stirpe λῶ ex analogia procrescit uerbum λάπτω[16]):

Or. 94, 5 Λάβρος· παρὰ τὸ λάπτω. οὕτω Φιλόξενος.

---

16) Egregie huius uerbi notatio apta est, qua perspici possit, quid inter Heraclidem et Philoxenum intersit discriminis et quomodo utriusque uestigia distinguantur. Heraclides enim multorum uocabulorum

Or. 96, 14 *Λάβραξ· παρὰ το λάβρως ἐσθίειν. ἀδδηφάγον γὰρ τὸ ζῶον.*

Or. 96, 10 *Λαῖλαψ· λάπτω, ὁ μέλλων λάψω, καὶ ἀποβολῇ τοῦ ω̄ λὰψ, καὶ κατ' ἀναδιπλασιασμὸν λαῖλαψ μετὰ προσθέσεως τοῦ ῑ· δηλοῦσα τὴν λίαν καὶ σφοδρὰν καὶ ἐπιτεταμένην λαβρότητα τοῦ πνεύματος.*

Aliud deriuatum est uerbum *λάζω.*

Iam cf. E. M. 554, 56 *Λάζετο· . . . δύναται δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ λῶ τὸ θέλω λάζω γενέσθαι· ὡς στῶ στάζω, κρῶ κράζω:* in quibus ipsius Philoxeni memoria latet.

Or. 91, 19 *Λόχμη· ὁ δὲ Φιλόξενος παρὰ τὸ λάζω ῥῆμα, εὐληπτοτέρων ὄντων τῶν δασέων. λάζω οὖν λάξω μέλλων. ὄνομα λαχμὸς, ὡς παρὰ τὸ κράζω κράξω κραγμός. τοῦ δὲ γ̄ εἰς χ̄ μεταπεσόντος, λαχμός. τούτου τὸ θηλυκὸν λόχμη,* scilicet *τροπῇ τοῦ ᾱ εἰς ō:* unde uerisimile est desumptam esse notationem e Philoxeni libro *περὶ τῆς Ἰάδος διαλέκτου.*

Or. 91, 29 *Λιλαίομαι· παρὰ τὸ λῶ, ὅ ἐστι θέλω, οὗ παράγωγον λαίω, διπλασιασμὸς λιλαίω.* Schol. Venet. ad Il. *M* 106, quae prorsus similia exhibent, auctorem testantur Herodianum *ἐν ἐπιμερισμοῖς,* qui si re uera illa scripsit hoc loco totus pendebat a Philoxeno.

Λῶ τὸ ἀπολαύω.

Hanc significationem coniunxisse Philoxenum cum altera *τοῦ θέλειν* concludere possis ex

E. M. 126, 30 *ἀπολαύω· ἀπὸ τοῦ λῶ, τὸ θέλω, παράγωγον λαύω, ὡς χρῶ χραύω, καὶ ἀπολαύω.*

Discernitur utraque radicis potestas

E. M. 555, 32 *Λαλῶ· παρὰ τὸ λῶ, τὸ θέλω.... τὸ δὲ λῶ σημαίνει καὶ τὸ ἀπολαύω· ἐξ οὗ καὶ λάρυγξ.*

---

a syllaba *λ̄ᾱ* incipientium hanc originem commentus est, ut particulam illam ipsi uocabulorum stirpi extrinsecus praefixam opinaretur. Or. 95, 29 *Λάχνη· παρὰ τὸ λ̄ᾱ, τὸ ἐπιτατικὸν μόριον, καὶ τὸ ἔχω, ἧς ἐστι ἔχεσθαι καὶ λαβέσθαι. ἡ γὰρ τρίχωσις εὔληπτος. οὕτως Ἡρακλείδης.* Eadem ratione uerbum *λάπτω* sibi expediuit Or. 96, 3: *Λάπτω· παρὰ τὸ λ̄ᾱ μόριον ἐπίτασιν δηλοῦν ὡς καὶ τὸ ᾱρ̄ῑ καὶ τὸ ε̄ρ̄ῑ καὶ τὸ ζ̄ᾱ· τὸ λάπτω οὖν δηλοῖ τὸ λίαν ἅπτεσθαι. λάπτοντες οἷον προσκείμενοι τῷ ὕδατι.* cf. p. 95, 7 *Λαγνεία.* p. 94, 6 *Λάβρος.* 94, 10 *Λαγώς* alia similia per Etym. Magn. sparsa.

Praeterea Philoxeno haec danda existimo:

E. M. 557, 4 *Λάρος τὸ ὄρνεον, τὸ ἀπολαυστικὸν ἔχον τὸν νοῦν.*

Λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς (Od. ε 51).

E. M. 557, 11 *Λάρυγξ· παρὰ τὸ λαρύσσω λαρύξω, λάρυγξ· τὸ δὲ λαρύσσω παρὰ τὸ λῶ, τὸ ἀπολαύω.*

Permulta enim Philoxeni fragmenta tacito auctoris nomine in Etymol. Magn. et Gud. propagata sunt quae rationibus etymologi semel cognitis facile recuperari possunt.

Quod si ad ea quae exposita sunt respicimus quaerimusque quae maxime Philoxeni sint merita, hoc ualde cauendum est, ne singularum quas ille proposuit notationum censuram agamus minus aequam neue artis etymologicae, quam hodie constitutam habemus, rationibus metiamur. Multorum uocabulorum origines uerissime explanauit, multa sane sagacius quam uerius disputauit. Propria uero eius uirtus et praestantia, ut iam supra dixi, hac in re cernitur, quod primus omnium studia etymologica ad artem quae uere dici possit et ad certa praecepta cum summa constantia sequenda reuocauit: quo conamine non modo inter ueteres etymologos maxime excellit, sed uel ad nostri ipsius temporis artem proxime accessit[18]).

---

18) Extitit nuper qui simile Philoxeno inceptum persequeretur Th. Benfeius, qui rationibus grammaticae comparatiuae nisus euincere studuit uerbum omnium orationis partium priorem et potiorem esse, unde cetera uocabula praeter interiectionum genus omnia paullatim per uarias declinandi formas nata essent. uide Ztschr. f. vgl. sprachf. IX (1860) p. 81 sqq.

VITA.

Natus sum Cussalini Pomeraniae urbe a. d. III Non. Martias anni CIƆIƆCCCXXXXII patre Augusto adhuc superstite, matre Guilelmina, quam lugeo duobus abhinc annis acerbissima morte mihi ereptam. Fidei addictus sum euangelicae. Primis litterarum elementis in schola publica imbutus aetatis anno decimo tertio adii gymnasium Cussalinense, quod tum directore Theod. Adlero, uiro in primis mihi colendo, florebat. Cuius gymnasii per septem annos fui discipulus praeceptoribus usus optimis et doctissimis, quos grato et memori animo prosequor. Auctumno a. CIƆIƆCCCLXI Gryphiswaldiam petii, ut antiquarum litterarum studiis me darem. Per rectorem magnificum Baumstark uir. ill. ciuibus academicis adscriptus disputantes audiui uir. ill. Schoemannum Hertzium Georgium Baierum Hoeferum Schaeferum Susemihlium Ahlwardtium Hasertum Diestelium Hannium Reuterum Vsenerum Michaelem. Receptus in regia seminaria philologica, quorum exercitationibus praeerant Schoemannus Hertzius Susemihlius Vsenerus, per duo semestria fui sodalis ordinarius, per hoc senior. Societati philosophicae, cuius exercitationes Georgius moderabatur, per quattuor semestria interfui. Quibus omnibus uiris gratias ago quam maxumas. In primis uero Schoemannus Georgius Vsenerus Susemihlius egregie studia mea adiuuerunt; quorum quanta sint in me merita pio et grato animo semper tenebo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Eandem esse philosophiae atque ceterarum scientiarum cognosccendi uiam et rationem.

II. Orationem quae in Platonis Phaedro Lysiae tribuitur non esse a Platone fictam.

III. Herodianus grammaticus saepe Philoxeni uestigia pressit, sed rationes suas accuratius ad παράδοσιν, quam dicebant grammatici, direxit.

IV. Terentius poeta Adelph. prolog. uers. 15 sqq. non confessus est se ab hominibus nobilibus in fabulis scribendis adiutari.

V. Terent. Adelph. uersus 125 sic legendus est: Pater esse disce ab illis, qui uere *cluent*.

VI. Iuuenal. sat. III uersus 12—16 immerito ab O. Iahnio et O. Ribbeckio post uersus 17—20 positi sunt.

VII. In fontibus Etymologici Magni et Gudiani indagandis proficiscendum est ab Orionis Thebani lexico etymologico.
